

S. c. 268

400 Wm

J. VII, 891.

~~III 410 J V. 13~~
+

9

2

HENR. THEODORI HEYMANNI
DIALOGVS
DE
MENTIS HVMANAE
LIBERTATE
DIVINO DECRETO
NON SVBLATA.

ANTEA
GROENINGAE EDITVS
NVNC
DENVO EMENDATIOR EMISSVS.
A
IO. CHRISTIANO FISCHERO
PHILOS. DOCT. ET ADSESSORE IN ACADEMIA
IVXTA SALAM
CVM EIVS
PRAEFATIONE ET COMMENTATIONE MORALI
DE
VERA SEV PERFECTA
LIBERTATE
RATIONI ET LEGI CONGRVA.
ET INDICE NECESSARIO.

I E N A E
APVD IO. CHRISTOPH. GROEKERVVM,
∞ lccc xxxviii.

2624.

81

HENR. THEODOR HEYMANNI
 DIALOGVS
 DE
 MENTIS HVMANAE
 LIBERTATE
 DIVINO BECERVO
 NON SVBATA
 GROENINGAE EDITVS
 DENO EMBELLATOR EMISSVS
 IO. CHRISTIANO FISCHERO
 PHLOS. DOCT. ET ADRSSORE IN ACADEMIA
 IAZTA SALAM
 OVM EIVS
 TRAEATIONE ET COMMENTATIONE MORALI
 DE
 VERA SV PERFECTA
 LIBERTATE
 NATIONI ET LEGI CONGRVA
 ET SVSICE NECESSARIO

I N A E
 APVD IO. CHRISTOPH. GROEKERVM
 COEBOGIVM



VIRI
ILLUSTRES MAGNIFICI
EXCELLENTISSIMI

ILLVSTRI AC MAGNIFICO
LIBERAE S. R. I. VRBIS
FRANCOFVRTENSIS
S E N A T V I

TENVE AC EXIGVVM

HOCCE OPVSCVLVM

SACRVM

[Faint, mostly illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



V I R I
ILLVSTRES MAGNIFICI
EXCELLENTISSIMI
CONSULTISSIMI AMPLISSIMI
AC PRVDENTISSIMI
MVSARVM PRAESIDIA SPLENDIDISSIMA
FRANCOFVRTENSIS
S E N A T V I



ostquam VESTRA, Patroni Summi! insignia & maxime illustria in litteras eorumque cultores merita mihi innotuerunt, vos tam amica Musarum Numina singulari pietatis cultu suspicere ac reuereri apud animum constitui, nihilque habui prius

prius, nihilque sanctius, quam eam veneratio-
nem, qua vos hucusque tacite sum osculatus,
publice declarare. Libertatis verae ac consum-
matae imaginem, cum voluerem animo deli-
nearemque, eius exemplar absolutissimum VE-
STRIS VESTORVMQVE civium virtutibus ad
vium expressum, incurrebat in oculos. Vi-
debam enim, vos non solum Patriae ac li-
bertatis adfertores, vindices, ac custodes sa-
lutari; sed vos ipsos ad leges esse bonos
VESTRISQVE consiliis, monitis ac potius
exemplis ciues VESTROS effici eosdem, hoc
est, felices ac beatos. Quam ob caussam VE-
STRIS virtutibus ac studiis, si maius, tamen
haud adcomodatius publicum meae in vos
pietatis monimentum excitari, neque *Clarissi-
mi Heymanni*, & meae de *libertate vera commen-
tationi*, maius ac illustrius decus ac ornamen-
tum conciliari posse credidi, quam si huic opus-
culo, VESTRA splendida praeponerem NOMI-
NA, tantisque libertatis ac Musarum defenso-
ribus ac Fautoribus id dicarem atque conse-
crarem. Immineo igitur huic peropportunae
occasione, & VOBIS Patroni maximi! hocce
leuidense opus VESTRIS inscriptum NOMI-
NIBVS,

NIBVS, ea, qua debeo, mentis demissae ob-
seruantia, offero & quasi de manu in manum
trado, rogoque, vt illud, sicuti soletis, be-
nigne accipiatis, VESTRAQVE comprobetis
beneuolentia, mihi vero habeatis persuasum,
nihil iucundius nihil optatius, denique hono-
rificentius nihil obtingere, quam VESTRAM
gratiam ac mite VESTRVM patrociniũ. Re-
spicite igitur Musas meas, ostenditeque, me
cum iis ad peculiarem VESTRAM pertinere
indulgentiam. In reliquis, vt publico bono,
vt Musarum praesidio atque ornamento viua-
tis ac vigeatis quam diutissime, opto & pre-
cor. Deus adnuat votis meis vosque omni-
bus cumulet bonis, quae vitam reddere pos-
sunt beatam ac felicem. Valet Patroni splen-
didissimi & a me expectate omnia officiorum
genera, quae proficisci poterunt

A

MAGNIFICORVM ET ILLVSTRIVM
NOMINVM VESTRORVM

Dabam e Museo
die VIII. Mens. Nouembr.
A. S. R. 001000XXXVII.

observantissimo cultore

Ioanne Christiano Fischero.

SIN-



B. L.

S.

SINGVLARIS Tua B. L. facit humanitas & beneuolentia, qua hucusque scripta cum aliorum, tum propria a nobis publicata excepisti ac comprobasti, vt nouum paucarum quidem pagellarum, sed grauioris ac selecti profecto argumenti opusculum tuo nunc sistamus obrutum. Accipe igitur, si Tibi placeat, THEODORI HENRICI HEYMANNI Philosophi Barauī celeberrimi nominis, libellum, seu, *Dialogum de mentis humanae libertate diuino decreto non sublata*, ante aliquod annos Groeningae editum, in quo libertas hominis non solum contra eos, qui eam diuino decreto sublata & ademptam putant, idque aliis persuadere conantur, sed etiam contra alios hostes vindicatur ac defenditur strenue. Materia, licet satis trita, gratiam habet ac inuenit apud omnes, qui sustinent ac tuentur libertatem eaque frui cupiunt, nec multis adeo displicebit modus proponendi per dialogos. Res ex ipsis Philosophiae fontibus depromptae, exquisitis vestitae verbis, & optimorum tam veterum, quam recentiorum testimoniis comprobatae ac illustratae, elucent ubique & ita commendant hunc auctorem, vt nostra commendatione plane non opus sit, sed potius dignus, qui denuo a nobis edatur. Scriptorum de libertate multitudo, a proposito nos eo minus potest deterrere, quo magis habemus compertum, existere adhuc hodie multos, qui variis



riis modis mentis humanae libertatem aut infringere, aut penitus destruere adnituntur. Quare praecipua laude digni nobis videntur Adsertores & Vindices libertatis strenui, qui eam aduersus hostes propugnant. E quibus honoris causa nominamus summe Reuerendum WAGNERVM, qui contra Auctorem *Melodii* disputaui acute & libertatem ab eo oppugnatam contra eum docte ac mascule adseruit. Huius causa nobis quoque generationi adhuc sunt celebrandi, Viri saeculorum memoria digni, LEIBNITII, WOLFII, BILFINGERI, REYSCHII, BAUMGARTENII, DARIESII, qui in stabilienda & confirmanda humanae mentis libertate praeclaram posuerunt operam. Nec plane praetermittendus Cl. HEYMANNVS, Vir multae lectionis & diligentiae, & in Philosophia & literatura politiori haud parum versatus, qui argumentum graue a decreto diuino desumptum & libertati ab eius aduersariis oppositum, in supra laudato Dialogo, solide ac docte examinat, diluit ac refellit. Qui, cum primum *Groeningae* fuerit typis exscriptus, vnde raro in nostras perferri solent libri oras, operae duximus pretium, eum emendatiorem ac locupletiozem edere, vt nemini desit occasio euoluendi & consulendi hunc Philosophum Batauum, in ardua de mentis humanae libertate materia. Praemisimus commentationem, in qua verae libertatis notionem eruere eiusque cum ratione & lege arctissimam cognationem docere, adeoque generationi de libertate vera praefstruere adlaborauimus ea, quae libertati cum diuinis comparatae decretis, iisque non sublatae, lumen aliquod affundere facemque praefferre possunt. Vale B. L. & nobis & nostris conatibus sicuti hucusque, ita imposterum fauere perge. Dabam e Museo die VIII. Mens. Nouembr. A. S. R.

∞ 1737 XXXVII.

HEN-

IOANNIS CHRISTIANI FISCHERI
PHILOS. DOCTORIS ET ADSESSORIS IN ACADEMIA
IVXTA SALAM
ET SOCIETATIS IN INCREMENTVM DOCTRINAE ET
VIRTVTIS IBI EFFLORESCENTIS DIRECTORIS
COMMENTATIO MORALIS
DE
VERA SEV PERFECTA
LIBERTATE
RATIONI ET LEGI CONGRVA
NOMINE
DICTAE SOCIETATIS
CONSCRIPTA.

IOHANNIS CHRISTIANI FISCHERI
PHILOSOPHO DOCTORI ET ABBATI IN ACADEMIA
VITAE
ET DOCTRINAE INCREMENTUM DOCTRINAE ET
VITAE IN IMPROBIS
COMMENTARII

CICERO:

*Sera gratulatio reprehendi non solet, praesertim si nulla
negligentia praetermissa est.*

VERA SEU P
LIBERTATE
RATIONI ET LEGI CONGRVA
NOMINE
DICTAE SOCIETATIS
CONSCRIPTA



DE
VERA LIBERTATE
RATIONI ET LEGI
CONGRVA.



MENTIS libertate a Deo mortalibus nihil datum est maius, nihil praestantius, nihilque ad augendam diuinae Maiestatis gloriam & exinde profluentem humanam felicitatem aptius atque adcommo-
datius. Hanc amant, hanc desiderant ac optant, hanc consecantur vnice omnes & vt consequantur, omnem operam omneque conferunt studium. Nec hoc adeo mirum videri debet, quod libertatis amor tam incredibilis tam altius infixus mortalium infederit animis, cum quisque naturae stimulis concitatus quaerat bonum, perfectionem ac felicitatem, quae omnia

sine libertate nemini, eius autem auxilio & ope obtin-
gunt omnibus. Quare natura nos impellit, ut eam quaeramus omnes, & tanto quisque se nobiliorem felicioremque existimet, quanto sibi videtur liberior, sine libertate fordent bona reliqua omnia & vita ipsa nil nisi poena, mera est calamitas & miseria. Libertas qua homo praeter ceteris animantibus omnibus eminent, nititur ratione. Omne enim bonum quod sequitur & amplectitur voluntas, ratione antea cognosci & illustrari debet. Intelligentia comprehendit & suadet, quae voluntas exequi debet. Rationem & libertatem eum in finem Deus concessit nobis, ut in prosequendo bono maloque fugiendo ad praescriptum rationis libere agamus, & non nisi ad amplificandam gloriam diuinam prouehendamque nostram felicitatem utamur ratione & libertate. Libertatis igitur humanae fons est ratio, sine qua nec bonum cognoscere, nec amplecti quis potest, adeoque nulla est libertas. Unde etiam illustrior ratio, maiorem producit libertatem. Et sicuti quisque cupit esse felix, quisque etiam cupit esse liber; sed licet omnes exoptent libertatem; pauci tamen norunt, pauciores rite interpretantur, paucissimi ea recte utuntur. Res profecto est magni momenti, in hac miseria, qua humana circumfusa est vita, adspirare ad libertatem, rem profecto grauissimam. Libertas enim est fundamentum disciplinae morum, (a) quae nobis monstrat viam ad felicitatem, nosque ad eam manu quasi ducit, legum, imputationis, praemiorum ac poenarum. Sublata libertate quae rationi subest, nullae leges, nulla imputatio, nulla virtus, nulla denique felicitas. Quamobrem ab infinitis fere temporibus doctrina de libertate tot ingenia magnorum exercuit virorum &

(a) conf. SYRBIUS *Phil. Ima.* p. 785.

exercet adhuc hodie, & quicquid, & quantum, de ea dictum est, minus est. Est enim adfectio spiritus, de quo plura ignorant adhuc Philosophorum acutissimi, quam multo labore pertinacique industria assecuti sunt. De ea igitur multae ac variae sunt eruditorum sententiae. *Stoicorum*, de libertate opinionem docte recenset Summe Venerandus BRVCKERVS, (b) quae ita comparata est, vt veram libertatem euertat ac destruat, falsam vero introducat, quod cum aliis bene obseruauit illustris DARIETIVS. (c) CICERO Romanae eloquentiae aequae ac libertatis Parens in Paradox: *libertatem generatim vocat potestatem viuendi vt velis*. IVSTINIANVS Imperator (d) eam in naturali facultate eius, quod cuique facere libet, nisi quid vi aut iure prohibetur, constituit. ARISTOTELIS (e) libertatem spontaneitatem intellectualem esse, docet sponte agere & ex principio intrinseco agere, pro eodem habet. RENATVS CARTESIVS cum suis discipulis libertatem ex viua sensatione independentiae nostrae deducit & adstruit, contra quem docte disputauit BAYLIUS conf. Illustr. LEIBNITII Theodicee §. CCCIII. HOBBSIVS (f) definit libertatem externorum impedimentorum absentiam. Quae definitio negatiua tantum & se ad incitamenta quae omnino ponunt aliquid, non refert, quare libertati non ea tribuit, quae ei reapse infunt, vnde sententiae HOBBSIANAE in hac re minime subscribimus. BENEDICTVS de SPINOZA libertatem partim statuere videtur nullam, partim perperam & peruerse de ea sentire solet, voluntatem certum cogitandi modum dicit, atque hinc volitionem nullam existere, neque ad operandi modum determini-

(b) In Hist. crit. Philos. Tom. I.

p. 971. seqq. & p. 961.

(c) in Metaphysic.

(d) Institut. Lib. I. Tit. 3. §. 1.

(e) Lib. III. Eth. C. II. & III.

(f) Leuiath. C. XIII. init.

terminari, autumat, nisi ab alia causa determinetur (g) quam sententiam more suo solide refutavit Summe Reuerendus D. IO. IACOB. SYRBIVS (h). Praeterea veteres vulgo libertatem dixerunt indifferentiam formalem ad utrumque oppositorum, de qua infra plura dicendi erit locus. Inter recentiores Philosophos diu multumque de libertate disputatum est, & adhuc disputatur, quorum sententias hic recensere, quia nimis foret longum & instituto nostro contrarium, praecipuorum philosophorum de hac re opiniones perstringere operae forsitan erit pretium. Saeculorum memoria dignus LEIBNITIVS principem inter recentiores Philosophos, qui de libertate praeclare disseruerunt, meretur locum, qui in libro, cui inscriptio *Theodicée*, ad libertatem requirit, ut omnes actiones, non coacte (seu sponte) & cum consilio seu consulo fiant. BAYLIJ de libertate sententiam recenset illustris LEIBNITIVS l. c. Illustri BILFINGERO libertas est facultas, qua positis omnibus ad agendum requisitis agere & non agere quis potest, agere hoc vel aliud. Illustris WOLFIUS (k) libertatem vocat facultatem spiritus, sponte ex duobus aequè possibilibus illud eligendi, quod ei maxime placet. Excellentissimus REVSCHIVS (l) Libertatem definit, facultatem, qua positis omnibus ad agendum requisitis, anima potest agere & non agere, hoc vel illo modo prouti motiua assumit, quae ipsi placent maxime. Celeberrimus CANTZIVS (m) libertatem dicit facultatem ex pluribus quae ad eligendum proposita eligendi, non eligendi hoc aut aliud. Illustris DARIESIUS (n) docet eam esse facultatem

(g) *Erbic. Part. I. prop. XXXII.*(h) *in Philosophia Ima p. 193.*(i) *Dilucidat. Sect. III. §. CCCI.*(k) *in doctrina morali*(l) *Metaphys. §. 505.*(m) *in disciplina mor. §. 7. p. 3.*(n) *in Metaphys. Psychol. Emp.*

§. CXI.

cultatem praevia consultatione ad aliquid sponte sese determinandi. THEOD. HENRICVS HEYMANNVS (o) asserit, *libertatem in facultate adpetendi rem, quae intellectui videtur bona, consistere.* Denique Auctor tractatus qui inscribitur: *Vernünfftige Gedancken von der natürlichen Freyheit sowohl überhaupt, als auch in so fern selbige GOTT und den Menschen zugeeignet werden müsse.* §. 14. p. 20. ita describit libertatem: *Die Freyheit ist eine Eigenschafft eines Geistes, vermöge dessen selbiger aus entgegen gesetzten Handlungen, die gleich möglich sind, unter einerley Umständen eine hervorbringet.* Praeterea huc pertinent 1) IO. GV. FEVERLINI dissertat. *de Libert. ment. hum. & Summi Numinis* Altorf. clō Io ccxxx. habita. 2) RICHTERI dissert. *de caussarum nexu & libertate.* 3) GODOFR. EVERHAR. SCHMAVSS. dissertat. *de notione libertatis Philosophica,* Goettingae 1737. habita. Postquam aliorum de libertate sententias breuiter ac strictim exposuimus, quidnam nos de ea statuamus, pro scopo nostro paulo accuratius erit inquirendum. Libertas autem nobis est *facultas mentis, qua illa consulto seu quodam deliberrato consilio ad oppositorum seu contrariorum aequae possibilitatum alterutrum, sub eadem conditione, sponte sese potest determinare.* Rationis libertatem, rationem & intelligentiam ante omnia requirere ex dictis intelligitur, hinc neque libertas vlla, neque actio libera est, nisi in Ente intelligente. Tres autem sunt praecipui characteres ex natura & essentia libertatis deducendi. Inter hos primus est, *INDIFFERENTIA FORMALIS,* quae libertatem a necessitate constituit, & inuoluit a) *potentiam* agendi vtramlibet oppositorum, b) *aptitudinem* pro lubitu sese ad alter-

(o) in dialogo *de mentis humanae libertate diuino decreto*

non sublata. §. XVIII.

alterutrum oppositorum determinandi conf. si placet, VEL THEMIVM (p) & HEBENSTREITVM. (q) Haec indifferentia *formalis* recte distinguitur a Philosophis ab *obiectiua*, & eam *contingentiam* quae libertatem conficit optime exprimit. Alter character est SPONTANEITAS, quae omne principium externum excludit, & principio interno vnice nititur. Quare eam cum Philosophis vocamus *determinationem vis internae, seu, si maius intrinsecae, qua ens absque vlllo principio externo ad alterutrum oppositorum seu contrariorum sese determinare potest.* Tertius character est DECRETVM seu ELECTIO, qua illud quod inter plurima remedia optimum ad consequendum finem remedium iudico & volo. Quoniam autem ignoti nulla cupido; cognitio ac perspicientia eius, quod optimum, praecedere debet, antequam illud prae aliis velle possum; haec autem optimi indagatio *consultatio* dicitur, quae cum sit reflexio; haec autem attentionem, quam continuat, complectatur, necesse est; recte Philosophi ad naturam & essentiam libertatis *attentionem & reflexionem* retulerunt. Satis superque a Philosophis demonstratum est, nihil esse sine ratione sufficiente; hinc & nec volitio nec nolitio, vt cum philosophis loquar, adeoque nec libertas absque ratione sufficiente esse potest. Et cum naturae instinctu bonum cognitum adpetamus, malum vero cognitum auersemur; repraesentationes boni maliue, aut volendi, aut nolendi rationes mouentes seu motiua esse, patet. Omne Ens rationis vult & agit propter finem, & illud quod propter praestitutum finem est, remedium dicitur, & rationem continet cur finis ad actum deducatur. Qui igitur vult finem voluntate nempe

(p) in *Metaphys.* p. 940.(q) in *Philosophia Ima* p. 750. seqq.

nempe efficaci remedium etiam velle debet. Finis, quem homo intendit, est bonum, quod complectitur perfectionem & felicitatem, vnde recte dicitur, etiam hominem intentum esse in suam felicitatem; cogitationes seu repraesentationes boni sunt propter bonum illud consequendum, ergo sunt remedia, quibus finis seu scopus bonum nempe obtineri queat. Porro ex Philosophia constat, actionem, qua percepta ad me refero, esse *spontaneam*, quare & ea actio, qua medium hoc vel illud volo nec ne? erit *spontanea*. Cum vero, facta deliberatione & indagatione, id quod ex multis est ad consequendum finem optimum, velimus; remedium quoque velimus necesse est, serio intendamus finem. Quam ob causam, cum ita consilio deliberato & sponte nos determinemus ad vnum contrariorum, quod nobis videtur optimum, libere agimus. Cum igitur ratio boni cogniti nos moueat ad illud amplectendum & alliciat, in bono autem eiusque possessione consistat felicitas nostra, optima erit libertas, ad felicitatem adspirare. Quo illustrior est ratio, quo maior est cognitio boni, eo perfectior erit libertas. Et quoniam ex repraesentatione boni malique vel desiderium seu voluntas vel auersatio oritur, & nostra voluntas nullam aliam rationem sufficientem nisi repraesentationem dictam agnoscit, qua sese determinat, *libertas non in voluntate sed in intellectu erit ponenda, & quidem in iudicio, quo & composita iudicia continentur.* Hoc PETRVS GASSENDVS (p) his confirmat verbis: *Frustra tentatur, inquit, vt voluntas appetitionem suam mutet, nisi curetur, vt intellectus suum mutet iudicium, & idem*
 B
 ait,

(p) de *Morali Philos. Epicur.* p. 1601.

ait, (q) prout intellectus notiones de rebus habuerit, iudiciaue de iis tulerit, voluntas ipsas easdem res aut prosequitur, aut auersatur. Inferuit igitur voluntas decreto & iudicio intellectus illud exequendo. Apposite in hanc rem scribit CALVINVS (r) *Voluntatis est eligere & sequi, quod bonum intellectus distauerit, aspernari ac fugere, quod ille improbauerit. Est intellectus quasi animae Dux & Gubernator; in cuius nutum voluntas semper respicit, & iudicium in suis desideriis expectat.* Emendatio igitur voluntatis pendet quoque ab emendatione intellectus. *Libertas in se spectata est entis, cui inest perfectio, cognitio, boni est perfectio & de bono iudicium, nec minus interna vis, qua ens seipsum determinare potest, perfectionibus est adnumeranda.* Ergo etiam libertas, quae ab his constituitur, ei cui inest, perfectionem adferet. Fieri interdum potest, ut sensus obscurent rationem ac cognitionem & ea nobis quae mala, repraesentent ut bona, et quae bona, ut mala, & ea sequamur quae nobis mala adferunt ex errore. At enimvero, quum libertas perfectio sit & nitatur ratione illustrata, quae Nubem pro Iunone verum pro falso non habet; nec, si ea recte utamur, nobis aliud quicquam nisi bonum euenire possit; mala quae nobis libere agendo contrahimus, haud a libertate, sed eius exercitio pendent, quod complectitur tam rectum usum, quam abusum, qui igitur libere agendo mala sibi parat, ille abutitur libertate. Perfecta igitur libertas, quae rectum usum requirit, bonum & felicitatem conciliat semper. *Gloria diuina est consideratio, seu repraesentatio omnium, quae Deo inesse possunt, perfectionum, quae etiam ab aliis*

com-

(q) l. c. 1599.

(r) *Instit. Relig. Christ. l. 1. c. 15. §. 7.*

complexus perfectionum diuinarum vocatur. Illustrare autem gloriam diuinam dicimur, si rationes mouentes actionum nostrarum e perfectionibus diuinis sumimus. Hanc vt illustremus, a Deo conditi & libertate praediti sumus; Libertatis est, optimum cognitum sequi. Cum autem perfectionibus diuinis nihil excogitari queat maius aut melius; in earum cognitione & cultu maximum consistere bonum, hoc est, summam felicitatem, facile conspicitur. Rationis libertate recte adhibita autem cum sequamur optimum & amplectamur, libertas perfecta & per se talis & ratione vsus gloriae diuinae illustrationem pro scopo habeat necesse est. Ergo vera libertas completitur gloriae diuinae illustrationem, libertateque sua recte vitur, qui in agendo perfectiones diuinas ytpote rationes mouentes sequitur, seu qui actionum suarum rationem sufficientem e perfectionibus diuinis petit. Cum gloria diuina coniuncta est summa felicitas, quam cum quisque libere quaerat, libertatem recte exercet, qui ad felicitatem veram adspirat. Ratio commendat bonum, dum ante oculos ponit mouetque, vt sponte quisque id desideret ac cupiat. *Libertatem igitur veram ac perfectam exercet, qui rationi conuenienter agit.* Quoniam vero *rationi sensus vehementiores* seu adfectus repugnant, & *libertati seruitus* contrariatur; & sine ratione libertas nulla, illi qui sese patiuntur ab adfectibus ita duci, vt sint in eorum potestate, *vera non gaudent libertate*, sed in miserissimo seruitutis statu versantur, suntque *adfectuum serui.* (s) Vbi igitur ratio aut exulat, aut non dominatur adfectibus, ibi regnant cupiditates effraenatae, nequitia &

B 2

omnia

(s) conf. Cl. FISCHERI *dissert. de Arte felicitatis* §. LXIII. LXIII.

omnia vitia. Leges sunt norma, ad quam liberas actiones dirigere tenemur. *Liberae* autem *actionis* directio *rationi* competit, quae praescribit normam, ad quam actio libera dirigenda. Quamobrem qui rationi adcommo-
dat actiones, legibus obtemperat. Quia vero, qui actiones suas liberas ad praescriptum rationis instituit, *libertate perfecta* vitur, ergo & ille libertatem colit perfectam, qui liberas actiones *ad legis normam* dirigit. Leges sunt propter ordinem, & nituntur tam Dei quam naturae praescripto, nullumque alium habent finem, quam nostram & aliorum salutem. Et cum natura nos incitet, ut perfectionem & felicitatem nostram quaeramus, & libertatis ea sit ratio, ut in bonum feratur, quod confert perfectionem ac felicitatem; libertati nullus alius est scopus quam salus ac felicitas. Propter salutem ac felicitatem sunt autem leges, ergo ad eas qui conformat actiones, remedium adhibet, quo libertas finem consequatur, adeoque in adplicatione remediorum ad finem a libertate intentum, libertatem ipsam exercet. Legibus igitur qui obtemperat, libertate vitur. Sancta igitur est eius libertas, qui ad legem bonus est. Hinc apposite *SENECA* de ira L. II. c. 27. *Quam augusta innocentia ad legem bonum esse? Quando latius officium patet quam iuris regula? Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae omnia extra tabulas publicas sunt.* Obsequium, quod sponte praestamus legibus, est libertatis opus. Ex amore boni cogniti profluit observantia legum, ex eodem libertas, ergo obsequium amoris cum libertate peragitur, adeoque est liberum & ii, qui bene parent, sunt liberi. Haec ingens illud Angliae fidus

LOCKI-



LOCKIUS (r) doctè ita interpretatur: *Si homo inquit, sine suo potiri velit, cum eo debet uniri, quod alia ratione fieri nequit, quam si voluntatem suam illius voluntati, vero & sincero amore submittat. Talis autem amor, quo unitur voluntatis inferioris cum voluntate superioris ac Domini nihil aliud est quam verum sincerumque obsequium, quod inde adpellatur obsequium amoris. Hoc modo obsequium sine libertate nihil est. Vnde intelligitur discrimen inter obsequium hoc & servile. Illud coacte, hoc sponte & libere exhibetur. Ceterum libertatem in obseruandis legibus sapiens, quoniam facit tamquam optima remedia ad finem impetrandum, felicitatem nempe, cognouit & elegit, collocat. Hanc sapientium libertatem Magnus GRAVINA (u) scite his explicat verbis: Tenuibus opulenti opinione tantum antecellunt, sapientes vero stultis reapse praestant & natura. Sane si mea fuerit optio, bonam mentem, cum Croesi fortunis minime commutauerim, stulti enim opibus & copiis, quibus aliis arroganter & superbe dominantur, ipsi miserrime seruiunt: sapientes vero qui caussarum nexum intelligentia, intelligentiam voluntate sequuntur, cupiditates extra naturae finem effusas ad rationem reuocantes, fortunam subeunt, & cum iustitia per se conuenientes leges non Dominas habent vitae, sed comites; neque magistras, sed socias consiliorum. Ita, ut vix ulli, praeterquam sapientibus, liceat in libertatem vindicare sese: quandoquidem fortunam rerum humanarum eludunt versisque virtutibus in morem, congruunt legibus, non obtemperant. Conuitiis & maledictis minime perturbantur, sed animo praesenti & acri resistunt: tum quia quod*

B 3

attri-

(r) de intellectu humano Lib. II. C. XII. (u) in Opusc. p. 347.

attribuere improbi nequeunt, calumniis frustra tentauerint, tum, quia studiorum praemium non in iudicio imperitorum, sed in ipsa sapientia situm est: tum denique, quod aegre quis inuidiam declinarit, nisi vel alios retexuerit, vel ipse a virtute declinarit, quorum alterum absurdum foret alteram plane stultum. Quisquis autem pro rebus maximis, qualis gloria litterarum est, inuidiam subit, hunc optimum sane putes iniisse consilium. Sapiens qui caussarum nexum perspicit, id quod intelligit bonum seu optimum, velle debet, quod cum leges praecipiant, id etiam sapiens velle & libere exequi debet, hoc est, libertate vera leges implere. SENECA EPICURI hanc repetit vocem (x) *Philosophiae seruias oportet, ut tibi contingat vera libertas & docet e philosophia petendam esse perfectam libertatem, addito hoc ipsum seruire philosophiae esse libertatem, quam ep. LXXV. vberius explinat, Ep. XXXVI. adserit sapientiam solam libertatem esse. Quod DEMOCRITVS vere recteque dixit: non oportere sapientem legibus obedire, sed libere viuere. Quippe sapiens per se & libere facit, quae bona sunt & honesta. Vnde ipse PAVLLVS Apostolus diuina auctoritate virtestatur: iustis legem non esse latam. Quae generatim de libertate in legum obseruantia perfecta euicimus, ea etiam de legibus ciuitatis valent. Ciues enim pacto in vnum quasi corpus maioris securitatis causa coaluerunt. Quoniam vero societas eiusmodi est ordo ratione constitutus quem ipse Deus instituit & confirmauit, ea nil nisi bonum publicum intendat oportet. Leges sunt propter ordinem, nullus igitur ordo ratione factus seu* soci-

(x) Ep. VIII.

focietas nulla vel esse vel conseruari potest sine legibus. Leges regulas praescribere debent, quarum ope securitas publica seu bonum publicum est, & conseruatur, adeoque remedia sunt, quibus communis societatis finis nempe communis omnium vtilitas obtinetur. Hunc autem finem bonum nempe publicum, cum quo priuatorum salus coniuncta est, ratio dum assequitur, voluntas amplectitur, libertas prosequitur. Qua de re leges qui seruat ciuiles libertate rite adplicata finem propositum bonum publicum assequitur, & ita securitate & tranquillitate fruitur externa. Et quoniam oppositorum opposita est ratio, ille qui legibus ciuilibus repugnat, abutitur libertate & misere seruit, ab omni- que longe abest securitate. Satis superque pro scopo rationibus nunc probauimus, veram & perfectam libertatem rationi humanae & legi diuinae esse conformem, & nihil reliquum est, quam vt experientia illud comprobemus quoque, quod facili negotio fieri potest, cum nobis obuersetur clarum praestantissimi KOCHII Collegae nostri meritissimi exemplum, quod sufficit ad adstruendam verae libertatis cum ratione & lege conformitatem. Hic enim ad legem bonum esse sibi duxit gloriae, in eoque sanctam posuit libertatem. Literas amauit litterarum causa, & distincta veri bonique cognitione imbuit intellectum, cuius iudicium executus est sedulo, ostenditque verae libertatis exercitium in cultu rationis & virtutis situm esse. Praeclara id loquuntur facinora doctrinae & virtutis specimina, quae tam priuatim, quam publice edidit, quare non indiget neque nostra, neque aliena laude. Diligentiae & virtutis praemium ac testimonium publicum, quo amplissi-

plissimus Philosophorum Ordo noster KOCHIVM nostrum ornauit, dum dignitatem Magistri ex merito tribuit ac concessit, sufficit ad omne eius decus; & nostrum nunc est, ei non solum de hoc gradu dignitatis gratulari sed & imposterum precari omnia secundum prospera, in dies meliora ac laetiora. Quare KOCHI clarissime! Societas TIBI laetitiam maximam, quam ex dignitate Philosophiae Magistri ex merito TIBI concessa concepit publice declarat, & optat, ut TIBI non solum sanitas & vita obtingat, sed etiam TVIS meritis digna decernantur praemia & ornamenta. Ceterum bonis omnibus Societas TVVM profecuta est abiturum piaque ad Deum nuncupauit vota, ut Deus TE comitaretur & saluum sospitemque reduceret in patriam & diu omni florere iuberet vitae prosperitate. Vale & nos ut TVOS, hoc est, plus quam soles, amare perge. Dabamus in Athenaeo iuxta Salam

die XXVII. Mens. Mai. A. S. R.

∞ IO CCXXXVII.



HENRICI

HENRICI THEODORI HEYMANNI
AD
PATRONOS ET AMICOS
DE
MENTIS HVMANAE
LIBERTATE
DIVINO DECRETO
NON SVBLATA
DIALOGVS.

HENRICI THEODORI HEYMANNI
MARC. PALINGENIVS Scorp.

*An - - mores fatum, vel nostra voluntas
In nobis pariat, permagni inquirere refert:
Nec parvus labor est, hac in re dangere verum,
Arbitrii certe remanet quota portio nostri:
Actum est de nobis, libertas prorsus adempta est
Humano generi, si fati summa potestas
Esse malos cogat nos, inuitique trahamur
In scelus, & nulla liceat ratione reniti.
Quare operae pretium est, huc totam intendere mentem,
Vt, quantum Deus ipse finit, verum excutiamus.*



RURI, quo & ego animi causa descenderam, ab-
hinc paucos dies deambulans Sophocratem
offendi, hominem cum perhumanum & affa-
bilem, tum maxime ad summam laudem
omnibus rebus ornatum; sed qui praestantis-
simis, quarum scientia exsplendescbat, artibus
& doctrinis, & quibus a fortuna instructus erat, opibus vi-
tae morumque integritatem anteponebat, & verae virtutis
gloriam. Vrbe utrumque elicerat ea, quam rigidae hiemis
molestiae, quam frigida primi veris & noxia multis tempe-
stas ad XI. Kalend. Iunii continuata effecerant solito suauio-
rem, blanda coeli temperati serenitas.

Oblectabamur ambo, ego praecipue in his oris paene
hospes, agri Groningani late patens distincta floribus pla-
nicie. Admirabamur utriusque, dum regionem circumcirca
prospicimus, amoeni fertilisque soli, & pagorum multitudine
prope infinita, & pratorum viriditate oculos animumque
pascens, & aquae ductibus, cum ad utilitatem & commo-
ditatem, tum animi voluptatem, discissi, ingenium.

En vt omnia nunc florescunt, aiebat Sophocrates, quae
paucis ante hebdomadibus frigore obriguisset videbantur!
Vt Deus generi humano prospexit! vt nostra taedia alternis
voluptatibus diluit! Regiones ad septentrionem vergentes

deprehendimus apta ignibus alendis materia abundare. Quas hiemis incommoda premunt, iisdem in terris dies aestiui nocturnum spatium contrahunt. Iam vero quantum ipsa illa consideratio vicissitudinis rerum taedium modo, modo voluptatem parientium ad virtutem valet! Calamitatibus animus tuus affligitur, aut aerumnis labefactatur? non desunt, quibus ille corroboretur & confirmetur, virtutes, patientia & fortitudo; quibus se adiungunt comites spes & fiducia: malorum non ignarus infortunatis discit opem ferre & laborantibus succurrere. Periculis terrere? providentia opus est. Prospere omnia eueniunt & ex animi sententia? Si sapiens es, temperantia & modestia cognosces animum stipandum esse & expendendis atque aestimandis diuinis beneficiis alendum.

Sperat infestis, meruit secundis

Alteram sortem bene praeparatum

Pectus: informes hiemes reducit

Numen, & idem

Summonet: non, si male nunc, & olim

Sic erit (a).

Quisquis denique fortunae inconstantiam mutabilitatemque, quisquis varios, & inopinatos saepe, rerum suarum casus & euentus dubios cogitat; nae ille nihil esse in vita, nisi rerum diuinarum & humanarum scientiam, & bene agendi facilitatem, quam virtutem appellamus, magnopere expectandum animaduertet.

Haec ubi ille praeclare elocutus erat, ut animus rerum vltro citroque explicandarum cognitioni & veluti perceptio- ni vacaret attentius, ut de iis iudicaret rectius, ut ratiocina- retur profundius, in locum solum secessimus & ab homi- num frequentia remotum. Illic Sophocrates, ut erat erudi- tus pariter ac facundus, de rebus scitu saluberrimis, & ad morum, aut incorruptorum conformationem, aut depraua- torum correctionem spectantibus, coepit mecum agere sua- uissime,

(a) HORAT. l. 2. Od. 10.

uissime, doctrinasque in medium prolatas argumentis euidentissimis confirmare, & exemplis aut comprobare, aut certe illustrare.

Enimvero summa ego, illa a Sophocrate edoctus, perfundebar laetitia, talem mihi obuenuisse virtutem, vehementer gaudens, qui non modo aliorum commodis studeat; verum etiam, quod fieri posse principum huius aetatis Philosophorum scriptis ostensum est, dogmata ex ea Philosophiae parte depromta, qua vitam actionesque omnes ad certam rationis normam dirigere docemur, perpetua *Archimedearum* ratiocinationum serie demonstrare valeat, & ad euidenciam, Mathematicis quondam propriam, deducere. Gratias ego illi ingentes parabam agere: sed humanitate eius impeditus, quin urbem, inquam, repetimus? Tum vero ille: sicine, ait, arbitrare te huc a symbolon venisse: non discedes hinc prius, quam te mihi habere modo videbare significaturus retuleris: tum vero cumulatissime eam mihi a te relatum existimabo, si propositionem aliquam, neque a Theologia, neque a Philosophia alienam, demonstraueris.

Vetus opinio est, iam vsque ab *Homeri* (b), Poëtarum & antiquitate, & auctoritate principis, ducta temporibus, eaque *Carneadis* (c) aliorumque Philosophorum antiquorum (d) disputationibus & captionibus propagata & disseminata, ipsorum quoque Christianorum, eorum praecipue, qui post *Augustinum* (e) vixerunt, disceptationibus & contentionibus confirmata, & duobus abhinc saeculis optimorum virorum in

C 3

vtram-

(b) HOMERVS *Iliad*, T. 86. *ἔγω δ' ἐκ ἀντιόσ εἰμι, ἄλλὰ Ζεὺς καὶ μῦθρα κ. τ. λ. Iliad. Z. v. 488. Odusσ, A. v. 33. LVCIANI *dialogus de mercede conductis*, edit. Basileensis l. 1. p. 337. Eiusdem *Iupiter consultatus*, t. 4. p. 245. sqq. A. GELL. *Noct. Att.* l. 6. c. 2.*

(c) *Le Dictionnaire de Mr. BAYLE* l'Article *Carneade* L. p. 773.

(d) LVCIANVS *Concilio Deorum extr.* t. 2. p. 915.

(e) BAYLE dans son *Dictionnaire Critique & Historique* l'art. *Augustin* E. p. 300. BOËTHIVS *de Consolat. Philosoph.* l. 5. metr. 3. VITI *Apologia Synodi Dordracenae* §. 36. p. 233.

vtramque partem acerrime disputantium controuersis renouata; contrarias, diuersasque, atque inter se repugnantes esse, aut certe videri, sententias de supremi numinis decreto omniumque rerum praescientia, & mentis humanae libertate, & qui vtrumque verum esse statuunt, eorum doctrinam merito censeri inexplicabilem (f).

Quotquot aut rationem sequuntur ducem, aut sacris purae religionis sunt initiati, vno ore profitentur omnes, rerum cunctarum, quae aut fuerunt olim, aut etiam nunc existunt, aut posthac futurae sunt, ordinem, nexum, & quicquid praeterea de iis cogitari potest; omnes omnium hominum actiones, immo cogitata, optata, & consilia omnia, decreto immutabili stabilita, Deum ab omni aeternitate praesensisse & praesciuisse; atque adeo omnia ita accidere, atque ita accidere necessario, vti a Deo decretum: nihilo minus homines, quicquid libere agere videntur, re vera agere liberrime. Hae duae sunt veritates, quae, si earum vtraque spectetur seorsum, perspicuae apparent; sin coniungantur, altera videtur alteri esse contraria. Has tu, si quid potes, inter se conciliabis. Facilius est multo, inquam ego, hunc nodum, plusquam Gordium, secare, quam dissoluere.

Quid tu nodum dicis? respondit iocose Sophocrates: non recte rem accipis: nihil hic enodandum; in nullo nodo soluendo; sed e contrario in veritatibus, quae dissolutae minimeque inter se cohaerere videntur, inter se connectendis tibi erit laborandum. Id autem, non video, quo modo sine subtili illa rerum contemplatione, quam THEOPHRASTVS dubium an ANDRONICVS RHODIVS *μεταφυσικὴν* appellauit, queat praestari. Spatiemur igitur paullo liberius per Philosophorum, quos Metaphysicos nuncupant, fertilissimos agros, ea passim conquirituri, quibus ea rationis decreta inter se conciliari queant. Illud & mihi vehementer gratum erit

(f) Lectu non indigna sunt, quae in hanc sententiam olim disputauit BOËTHIVS l. 5. de Consol. Phil. pr. 3. cui LAVR. VAL-

LA dialogum opposuit, quem in epitomen redegit & continuauit LEIBNITIVS §. 405. seqq. Theodicaeae.

erit, & tibi postea iucundum. Magnum enim ex eiuscemo-
di demonstrationibus capimus fructum, magnam voluptatem.
Haec ille.

At ego, duram profecto, inquam, mihi mandas provin-
ciam! Terreor rerum penitus abstrusarum & veluti *Democri-
ticeo* puteo reconditarum indagazione: terreor cum diffi-
cultatibus, & quibus me pressum iri praesentio, molestiis;
tum peritissimorum hominum dissensionibus, & opinionum
diffidiis, & diuersissimarum sententiarum diuortiis: vereor
quoque, ne aures tuae, *Ciceronianis* assuetae elegantiss, (nam
temporis multum, operae studiique plurimum Sophocratem
noueram in iis consumpsisse) vocabulorum, quae inter Phi-
losophos vsu valent, barbarie offendantur. Tum vero So-
phocrates, macte, inquit: si te difficultates, quae ex negotio-
rum tractatione videntur oriri, coepto deterrent, equam
tandem, obsecro te, rem suscipies? quam posse confici arbi-
trabere? molestiarum plena sunt omnia.

Eccur vero obiectionibus hominum, a te, aut illis, quos
sequeris, hac in re dissentientium mouearis? Cum res eadem
nequeat simul vera esse & falsa, si dogma tuum demonstra-
ueris, opiniones illorum, qui sentiunt contraria, falsae sint,
neceffe est.

Quod tandem attinet ad eloquendi genus & stilum;
amo, fateor, C I C E R O N I S cum aequabile & temperatum ora-
tionis genus; tum masculam eam & foro accommodatam
dicendi grauitatem, qua ille inter principis olim terrarum po-
puli principes eloquentiae consecutus est principatum: ec-
quis vero non delectetur, quis non moueatur oratione sen-
tentis & verbis elegantissime composita summi viri, qui ef-
fecit, ne, quorum arma vicerant, *Graecorum* ingenio vince-
rentur *Romani*? In deliciis habeo optimorum quorumque
Latinae linguae scriptorum explanatam politae orationis
munditiam: sed id credas mihi affirmanti velim, cum
vocalia, utpote cogitationum nostrarum signa arbitra-
ria, sint inuenta ad rerum cognitionem aut dilatan-
dam

dam (g), aut cum aliis communicandam; neuiquam in ea me esse haeresi, quae, dum solum sectatur sermonis ornatum, verborum delectu scientiis, id est, cognitioni rerum, earumque rationum distinctae, non dubitat obices ponere (h), nullam vocem probans, nisi antiquis scriptoribus usitatam: Non hos ferret, si reuiuisceret, familiaris meus *Tullius* (i): non ipse, qui sagacissimus & habetur, & fuit Criticus, Augusti Maecenatisque conuictor, *Horatius* (k): Non felix ille *Ciceroniana* eloquentiae imitator *Aonius Palearius* (l). Nolo plures ad testimonium citare, ne actum agere videar (m). Quam sibi in explicanda architectandi ratione veniam concessit *Virruuius* (n): quam sibi in tradendis Latinae linguae regulis & praeceptionibus, suo quasi iure, priuatis vocabulis, florente Latinitate ignoratis, vtendi licentiam Grammatici vendicant; eam nos rerum scrutatoribus, naturae interpretibus & bene beateque viuendi magistris denegemus? Non omnium, neque eo, quo euidentia postulat, ordine, scientiarum praecepta Latinis litteris consignata ad nos transmisit antiquitas: sed eadem, quam sapientissimi homines, Graeci in primis, instituerunt calcare, semita nobis est pergendum. Inuentis autem rebus quis vel mediocriter in litteris versatus vocabula esse aptanda noua abnuat (o)?

Quaeret

(g) Nam sine vocabulis aliisue signis ad specierum & generum cognitionem non peruenitur.

b) BACO de VERVLAMIO de *augm. scient.* vol. I. l. I. p. 31. 32. edit. Amstel. 1694.

) *Libr. 3. de fin. c. 1. 2. l. 2. de Diuinat. c. 4. l. de fato c. I.* Cui adde 10. VORSTIUM de *Latinitate merito suspecta c. I.* m. 9. 10. *Licuit semper, & vno licebit Philosophis non tantum ὀνομασθητέων cct.*

(k) Libro de *art. Poët. a versu 48. vsque ad 73.*

(l) p. 252. edit. Ien. Cl. HALL-BAVERI.

(m) Nam id praestitit magnus *πολυίως HEVMANNVS epistola Critica πρὸς ὀνομασθητέων, annexa Quintilianī Dialogo de causis corruptae eloquentiae p. 147. seqq.*

(n) Litteratissimus *FVNCIUS tract. de Virili aetate L. I. p. 2. c. 6. §. 8.*

(o) CICERO l. 3. de *fin. c. I.*

Quaeret quispiam, quid? illae ipsae res, quibus inueniendis, & tradendis viri sagacissimi inclarescunt, nonne vocabulis, quae optimorum Scriptorum consecrauit auctoritas, inter se coniunctis apteque connexis possunt explicari? Non deest, quod respondeam. In Philosophia plurimum interest, quam perspicue dicas: res illic spectantur, non verba penduntur (p).

In hemicyclo nuper cum viris grauissimis affiderem, & in hunc ipsum sermonem forte incideremus, senem quendam canum, exercitati vultus, luculentis memini argumentis probasse, utrosque accusandos, & qui egregie cogitata aptis verbis nequeant eloqui, & qui orationis quidem polienda curam habeant, sed nullas, quas ea illustrent, animo complectantur scientias: non decere Latine aut dicentes, aut scribentes committere, ut ab iis, qui hodie linguis vernaculis perspicue, ornate, copiose res scitu salutare atque iucundas tradunt, sibi palma praeripiatur eruditionis atque eloquentiae. Rationem esse acendum, animum ad cognitionem rerum solidam appellendum, veneranda antiquorum Latinorum monumenta multo studio versanda, quibus legendis non modo orationem fieri comptiorem & copiosorem, experientia doceat; verum etiam animum ad philosophandum (q) paratiorem, & ad reliquas scientias excolendas instructiorem. Praecipue vero Belgis nostris, hominibus liberis, quos iam *Lucanus* (r), Poeta historicus, dociles vocarit, in eo enitendum esse sedulo, uti, quod adhuc fecerint, scientiis pariter, atque orationis nitore excellent: maximum enim in libera republica Orationum esse usum: Oratores autem cum philosophia ingentem habere societatem: a phi-

D

loso-

(p) LEIBNITII *dissertatio de sילו Philosophico Marii Nizolii commentariis Philosophicis Francofurti 1670.* ab eodem editis *praemissa* §. 10. quoniam iste liber perrarus est, vide vol. 2. *epistolarum Leibnitii a Cl.*

Koriholto diuulgatarum p. 84-85.
 (q) Vir Cl. MART. HENR. OTTO *Praecogn. iuris diuini* §. 250. p. 207. *Indefessus sis lingua cultor, si in arte cogitandi proficere cupis.*
 (r) *Libr. 1. Pharsal. vs. 426.*

loſophis enim eos ſubtilitatem, ſoliditatem, argumentandi rationem mutuari, & iis viciffim reddere vbertatem orationis & dicendi ornamenta. Sed cum tales habituri poſtea ſimus ciues, quales nunc habemus adoleſcentes, parentibus id eſſe agendum, id curandum nauiter, vt liberos relinquunt quam optimos, vt eorum animi cum pietate, tum linguarum & diſciplinarum praeceptis imbuantur, vt, quod naturae deeſt, arte penſetur & ſuppleatur: illis autem cenſoriae ſeueritatis notam eſſe inurendam, qui, cum liberos nolint ſeuera lege proficere, eruditionem, eloquentiam, &, qua mortalibus a Deo nihil datum eſt praeſtantius, ſapientiam, non erubeſcant pueris adhuc naſcentibus induere. Praeterea, quum ingenium plerorumque adoleſcentium a labore ſit procliuè ad deſidiam, ad ineptias, ad voluptates; cauendum & prouidendum maxime, ne teneros eorum animos ab litterarum ſtudiis auocent imperiti & ignaui ſcientiarum ſimulatores, qui, veluti vulpecula Aefopi, omnibus carere ornamentis ceteros volunt, quae ipſi non poſſunt conſequi. Haec atque eius generis plura, vt ab homine docto & diſerto, ſingulari ſuauiſſime & Bataua ſimplicitate diſſerebantur. Illa Sophocratem memorantem attendebam auide. Dicendi autem vbi fecerat finem, eum rogavi impenſe, mihi vt daret bidui ſpacium ad cogitandum, & ad rem tam arduam, tam difficilem examinandam. Impetratum eſt, negotium in diem perendinum eſt dilatatum, in urbem reditum eſt.

Tertio igitur die, quam haec acta erant, in ſuburbano ſecefſu haec inter nos ſumus commentati.

Ne, inquam, & inquit, ſaepeſit interponendum, Germanum & Sophocratem quaſi loquentes dehinc inducam.

Germanus. Quae de humanae mentis libertate Dei decreto non ſublata diſputari poſſunt, ab iis, cenſeo, petas, qui iſta profitentur, vel qui ad verum inueſtigandum & confirmandum a natura & doctrina ſunt inſtructi, quibus a ſuis negotiis eſt tantum otii, vt vaſta eruditorum volumina legendo paſcant animum: ego Tibi, mi Sophocrate, exponere tantum

tantum potero, quae aut Theologorum, aut Philosophorum opera & studio plerisque innotuerunt.

Sophocrates. Vulgaria non contemno: cibi vulgares sanitatem viresque corporis conseruant. Solem quotidie lucentem nemo aspernatur: quid aquis dici vtilius potest? in publico tamen manant. Sed iam ad eorum, quae nudius tertius proposita sunt, inquisitionem & disputationem veniamus.

§. I.

G. Distinguisne rerum *essentiam* (s) ab *existentia*? S. Noli existimare, obsecro te, Germane, ex Philosophorum *Realium* schola me prodiisse, aut tantum tribuere vocabulorum deriuationi, vt, cum *esse* & *existere* habeantur *συνωνυμα*, *essentiam* cum *existentia* confundam: praeterea, quis ignorat, Philosophos, immo & vulgus, enti duplex attribuere *esse*, *obiectiuum* scilicet, seu *ideale*, ἴδ von ἰδν, & *subiectiuum*, seu *reale*, ἴδ εἶδν (t)? G. Certe res quaelibet finita ante, quam producur, potuit cognosci ab intellectu aut humano, aut certe diuino (u), id est (quia barbaris vocibus vtendi concessisti licentiam) fuit possibilis: hinc *essentia* vocatur interna rei possibilitas (x): *existentia* vero, per quam ens aliquod *essentiam* habet actu in rerum natura constitutam (y).

D 2

§. II.

(s) MVRETYS vocabulum *essentiae* ab ipso Cicerone formatum asseuerat *Variarum Lectio- num* l. 15. c. vlt. Argenteo certe Latinitatis saeculo fuit vsitatum: vnde quis mirari posset AVGVSTINVM l. 12. de *Ciu. Dei* c. 2. negantem, hoc nomine esse vsos veteres Latini sermonis auctores.

(t) SVICERVS ad *Ontosoph. Io. Claubergii* §. 16. & 328.

(u) Cl. CLAVBERG. *lectio in 5. Meditationem Cartesii* §. 10.

(x) Quia primum est, quod de rebus concipitur.

(y) IO. CLAVBERGIVS *Ontosoph. §§. 21. 80. 82.* Posset quis primo intuitu his contraria existimare, quae Cl. GER. de *VRIES Determ. Ontolog. c. 3. §§. 6. 7.* docet, sed re accuratius perpenſa, ex §. 8. *Exercit. Rat. 21. §. 8.* eum nobiscum sentire intelliget.

§. II.

G. Essentiae rerum omnium aeternae sunt & immutabiles. S. Illud demonstres, velim. G. Philosophorum omnium, qui essentiam ab existentia distinguunt, consensu, essentia id esse dicitur, per quod res id ipsum est, quod est. *Ex omnibus scilicet, quae rei alicui attribuantur (vt rectissime dixit Claubergius (z)), vnum solemus considerare tanquam primum, praecipuum & intimum rei, quod reliqua quodammodo complectitur (a), aut certe eorum omnium quasi radix (b) & fundamentum est (c). Hoc ipsum vocamus rei essentiam, per quam ens quoduis ab alio ente distinguimus (d). Iam vero si primum illud, per quod res aliqua ea est, quae est, hoc est, si essentia eius mutatur, non amplius manet eadem res, sed fit diuersa; vti si numero binario adiciatur vnitas, essentia habetur ternarii (e): optime dixerunt veteres, essentias rerum esse indivisibiles (immutabiles) instar numerorum, ὅτι εἰς τὴν πᾶς ἀειδύοι αὖ εἰς τρία. S. Quid? si quis neget, esse absurdum, duo esse tria? G. Veritates Mathematicae quum possint, vt reliquae omnes, quae aeternae nuncupantur; non modo directe, sed etiam indirecte demonstrari; concedamus aliquantisper, id esse verum. Cum tria componi ex 2 + 1, atque ita 2 esse partem, sed 3 totum, vnusquisque intelligat, concludendum foret necessario, si fingamus tria esse duo,*

(z) *Ontosoph. §. 56. adde §. 99.*

(a) *MALEBRANCHE dans la Recherche de la Verité l. 3. p. 1. ch. 1. §. 1. Par l'essence d'une chose j'entens ce, que l'on conçoit de premier dans cette chose, dont dependent toutes les modifications, que l'on y remarque. CARTESIVS princ. p. 1. §. 53. vna est cuiusque substantiae praecipua proprietates, quae ipsius essentiam constituit, & ad quam omnes aliae referuntur.*

(b) *Videntur haec aut ex SVAREZIO deprompta, aut, qui eum sequuntur, Philosophis, quos laudavit Cl. RIBOVIVS dissertatione de anima brutorum §. 16. annexa RORARIO ab eodem edito.*

(c) *Ὀυσία res necessaria, naturam continens, fundamentum omnium. SENECA epist. 58.*

(d) *CLAUBERG. Ontof. §. 61.*

(e) *Cl. GRAVESANDE introduct. ad Philosoph. §. 7. 199.*

duo, partem posse esse toti aequalem, quod est absurdum: sed alteram partem, nempe vnitatem, quae dimidium est numeri binarii, esse = 0, atque adeo ex 0 + 0 + 0, seu ex nihilo ter sumpto oriri numerum ternarium, quod itidem *δύο τριών* esse, nemo mortalium negabit: neque erit difficile, tertium addere absurdum. S. Quodnam illud? G. Tria esse = 2 & praeterea esse = 0 + 0 + 0. Viden' esse falsam hypothefin, quae adeo est errorum foecunda?

§. III.

S. Audacter tu illa quidem: sed audi *Sextum Empiricum* contra Arithmeticos ita disputantem (f). *Vnitati, addita alteri vnitati, aut accedit aliquid per additionem vnitatis alteri, aut decedit, aut nec accedit, nec decedit quidquam. Quodsi ne accedit quidquam, nec decedit, non fit binarius ex additione vnius ad alteram vnitatis: si autem decedit aliquid per additionem, fiet diminutio vnius & vnius, & non erit binarius: sin autem accedit aliquid, duo non fient duo, sed quatuor: nam binarius qui accedit & vnitatis & altera vnitatis constituunt numerum quaternarium. Nihil est ergo binarius.* G. Ridiculum sophisma, neque illi dissimile, quo probare studet, sex esse quindecim (g)! Sed heus, Sexte Empirice; numerus binarius aut factus est, aut fieri debet: si factus est, nihil ei neque addendum est, neque subtrahendum, alioqui numerus binarius mutatur & perit: sin faciendus, considerantur duae vnitates, antea sciunctae, nunc coniungi, ex qua vnitatis ad vnitatem additione oritur binarius numerus. S. Quamnam autumas huius erroris Sexti esse originem? G. Quod posterit homo, cui, nihil scire, scientia erat, binarium iam esse factum, cum formandus est: scilicet non animaduertit, notionem nos numeri binarii habere claram, dum distinctam inuestigamus. S. ita prorsus videtur: sed, quod commodo tuo fiat, pergamus.

D 3

§. III.

(f) L. 4. adde, quae notauit ad ea
10. ALB. FABRICIVS p. 335.
(g) SEXTVS EMPIRICVS *Pyr-*

rhoniarum Hypotyposew l. 3.
c. 19. edit. Cl. FABRICII
p. 151.

§. III.

Essentias rerum immutabiles esse, exemplo ex Arithmetis petito conatus es aut confirmare, aut certe illustrare (§. 2. extr.), sed cogites, rogo, ex calculo differentiali constare, verbi gratia, posse haberi $xy + xdy + ydx + dydx = xy + xdy + ydx$. Quid inde concludendum sit, facile intelligis. G. Immo vero tu facile intelligis, ea, quae imaginaria appellantur, cum rebus vere existentibus non esse confundenda, aut quae relatiue dicuntur, non esse absolute accipienda. Elementa arrearum, non ignoras, quemadmodum pro partibus, neque aliquotis, neque aliquantis, sed infinitissimis, habeantur. Quod si vero ponamus, superficiem A esse $= xy + ydx + xdy + dydx$: B vero $= xy + ydx + xdy$, profecto, si rem physice consideremus & absolute, diuersa erunt indiuidua, immo vero prius non modo ad aliam figurarum speciem, sed omnino ad aliud genus pertinebit, quam alterum. S. Vera dicis.

§. V.

Sed experientiam docere aiunt, essentiam rerum mutari, exempli causa, ex animalium minorum genere, quae, quod in varios veluti annulos secta sunt, Latini insecta, Graeci vero ἐντομα (b) vocant, aliqua eius esse naturae, vt, quae primum reptilia fuerint, deinde alis atque alio plane, quam antea, corpore instructa circumvolent (i);

Quaeque solent canis frondes intexere filis

Agrestes lineae (res obseruata colonis)

Ferati mutant cum papilione figuram (k)

G. Malo

(b) καλὰ ἐντομα, ὅσα ἔχει κατὰ τὸ σῶμα ἐντομας, ἢ ἐν τοῖς ὑπὲρ τοῖς, ἢ ἐν τῶν τερητοῖς πρᾶξεσιν. ARISTOTELIS l. i. de hist. anim. c. i.

(i) Le quatorzieme memoire du tome premier, & le premier du

tome second de l'histoire des insectes par Mr. DE REAUMUR. Le Spectacle de la nature t. i. p. 32. 36. 48. & les suiv. 56. 57. 78. 81.

(k) OVID. Metamorph. l. 15. v. 372. seqq.

G. Malo rem omnibus, qui vel a limine Philosophiam salutarunt, notissimam *Claubergii* (l), quam meis explicare verbis. Cum tolli, deleri, perire, corrumpi res aliqua dicitur, id plerumque (immo semper, nisi miraculum contingat) intelliges, quod res desierit esse id, quod ante fuit, quod pristinam faciem mutauerit, inque aliam speciem & nomen transferit (m).

Nempe, ut ait *Scipio Capicius* (n),

-- *Alia atque alia in lucem natura profundit
Semina, et inde nouas iterum manare figuras
Cernimus, inque alias species sic cuncta renasci.
Quare non poterit corpus formariet ullum,
Ni vis leui aliud perimat compage soluta
Qua prior alterius constabat forma peremti;
Non etenim quicquam fit, ni certa intereat res.
Sic aliud porro ex alio fit, sic noua passim
Exoritur proles forma recedente priore.*

S. Sedulum *Lucretii* imitatore vel ex his verbis agnoscas: sic enim ille (o):

— — *Aliud ex alio reficit natura: nec ullam
Rem gigni patitur, nisi morte adiuta aliena.*

G. Hoc illud est, quod *Suicerus* dicit (p): nulla substantia proprie perit, sed modi eorumque varia combinatio in substantiis pereunt. Nempe vnius corruptio, alterius generatio.

S. Vera dicis, & meo quidem iudicio, concinnatae a Viro summo, *Bacone de Verulamio* (q) explicationi fabulae de Protheo addenda.

G. Quod speciatim ad illa, de quibus paullo (*) ante, insecta attinet; ita ego existimo, rei, vnde ceterae deinceps for-

(l) *Ontosoph.* §. 61.

(m) A quae essentia non tollitur, siue ea naturali modo, dum per vitem in uas ascendit atque illic Solis calore percoquitur, siue per miraculum, vii 10. ANN. c. 2. §§. 7. 9. 11., in vinum mutetur.

(n) *Libr. 1. de principiis rerum* v. 144. sqq. *Conf. v. 108. sqq.* & 180. sqq.

(o) *L. 1. de rerum natura* v. 263.

(p) *In not. ad Claub. Ont. §. 61. p. 62.*

(q) *De sapientia Veterum* c. 13. p. m. 52. seqq.

(*) *P. 30.*

formantur, essentia contineri rationem omnium, quae inde, per varias veluti *μεταμορφώσεις*, oriuntur.

S. Ex bombycum ergo & erucarum essentia arbitrarie posse intelligi rationem mutationis eorundem primo in massam quandam, quam quis informem diceret; deinde in papilionem? G. Ita prorsus sentio: primo enim animaduertimus, ova, ex quibus tam bombyces, quam ea, quae Galli leschenilles vocant, excluduntur, papilionem parere: secundo, insecta ea glomo serico inuoluta non posse dici mortua, *Wolffius* Philosophus (r) & perspicacissimus ille rerum minutarum scrutator de *Reaumur* (s) docent (t): tertio, *Malpighius*, *Swammerdamus*, & *Reaumur* (u), acerrimi rerum a natura inuolutarum inuestigatores, quos Argo oculatiores dixeris, partes papilionis certo ordine notarunt explicari ex corpore insecti in massam aliquam, quam Galli la *Chrysalide* dicunt, mutati. S. Nihil habeo, quod his opponam.

§. VI.

Multum in iis, quae hucusque disputasti, vsus es *Claubergii* auctoritate, viri sane eximii, quem Illustris *Leibnizius* (x) ipsi *Cartesio* non dubitauit anteferre. G. Non auctoritate, sed verbis *Claubergii* rationi congruentibus, cuius solius existimo standum esse arbitrio. S. Credo. Sed contraria illis, quae explicuisti, sunt, quae ipse *Claubergius* ad experientiam prouocans (y) docet, *essentias rerum recipere magis*

(r) *Physicae Dogmaticae Teutonico sermone conscriptae* tomo 1. §. 451.

(s) Dans l'*Histoire des insectes* t. 1. Mem. 8. presque au commencement: La *Chrysalide*, dit-il, ne prend aucune nourriture. . . . Sa partie postérieure est la seule, qui paroisse animée, NE elle se peut donner quelques mouuemens, quelques inflexions sur les jointures des anneaux, qui la composent.

(t) Argumentum hoc erit maioris ponderis, si cogitemus, bombyces alteram, tertiamque cutem deposituros videri veterino occupatos.

(u) T. 1. mem. 8. & 14.

(x) *Oriò Hanouerano* ab *Amplicissimo FELLERO* edito p. 181.

(y) *Libro de coniunctione corporis & animae* c. 37. *Operum CLAVBERGII a SCHALBERGIIO* editorum p. 241.

gis & minus. G. Illic vir acutus agit de essentiis indiuiduorum: certum est, cum indiuidua sint omnibus modis determinata, neque duo dentur prorsus similia (z), eorum alia aliis esse aut perfectiora, aut imperfectiora, prouti circumstantiae singulares id permittunt: immo cum rebus finitis nequeant omnia, quae iisdem conuenire possunt, eodem tempore actu simul inesse, mirum non est, idem indiuiduum interdum esse perfectius, quam alias: neque hoc essentiae illius rei est contrarium, utpote quae possibilitatem significat (§. 1.). Quodsi vero ad ea attendas, per quae res ad suas classes, seu species, referuntur, essentias rerum immutabiles esse fatearis, necesse est: neque id aliter docuit *Clauberius* (a).

§. VII.

S. Venio nunc ad grauissimam illam obiectionem. G. Papae! exordio terres! S. Saepenumero viro ego optimos, eosque peracutos audiui dicentes, essentias rerum a Deo potuisse immutari. G. Monarchianos olim, & contra eos qui disputauit, *Tertullianum* id sibi persuasisse, egregie obseruauit Cl. *Moshemius* (b). Duobus prope abhinc saeculis, *Valent. Weigelium*, Concionatorem Tschopauensium, fanaticum, idem censuisse, sed ab *To. Crocio* refutatam, notum eruditus est omnibus. Nouissimo qui id docuisse visus est saeculo, magnus *Cartesius* serione id scripserit (c), an in gratiam amicorum, an odii cuiusdam acerbi timore, dubium cui-

E

(z) IAC. WITTICHIVS Orat. de infinito p. 15. rationi repugnat euidentissime, dari res plures solo numero differentes. Grauiissimo, sed perceptu facilissimo argumento id nouissime Cl. ENGELHARDVS noster not. ad CLARCKII epist. 4. p. 87. demonstrauit. Conf. p. 181. & Metaph. §. 48.

(a) *Ontosoph.* §. 65. & 75. Si quis

attenta mente integrum caput 37. libri de coniunctione corporis & animae legerit, eum certo scio meam responsonem non improbaturum.

(b) Not. ad RAD. CVDWORTHII *Systema intellectuale* p. 760.

(c) *Respons. sext. §§. 6. 8. Part. 1. epist. 115. part. 2. epist. 6. §. ult. praecipue epistola 110. partis*

cuiquam posset videri (d). Forfitan idem ei euenit, quod *Gassendo*, qui in *Physicis* (e), *Deus*, inquit, *naturae auctor eam zalem posuit, qualem esse voluit; neque quam legem naturae dixit, eandem praescripsit suae potentiae.* (id omnes docent, & se credere profitentur *Philosophi Christiani*, naturam illic ab essentia distinguentes). NB. Hoc vero insinuo ob *sacra mysteria* (f), quibus docemur atque profitemur, esse & corpus sine extensione, & extensionem corporis sine corpore ipso consistentem. S. Ista haec quidem suspicio est: at vero res suis momentis ponderanda. G. Non aequum postulas, sed aequissimum. S. Cum omnis ratio veri & boni, inquit *Cartesius* (g), a *Dei omnipotentia* dependeat, ne quidem dicere auserim: *Deum facere non posse, ut mons sit sine valle, vel ut unum & duo non sint tria, cet.* (h). G. Pace viri summi, & de *Philosophorum* republica optime meriti, ratio veri non ab omnipotentia Dei pendet, eique verbo notionem esse subiectam, vt credam, vix animum induco: sed intellectus diuinus, quicquid possibile, ab aeterno cognouit distinctissime & perfectissime (i), quod egregie iam olim obseruauit *Augustinus* (k). S. Audio, Argumenta mihi & rationes placent. G. Balbutire mihi liceat. Si ratio veri, vt vult *Cartesius*, a diuina omnipotentia dependeat, doce me, quomodo veritates & rerum essentiae ante, quam eas *Dei omnipotentia* stabiliaret, intellectui diuino fuerint obuersatae, certaene, an vt dubiae: prius si eligis, captum te sentis: sin posterius, caue, caue difficultates longe grauissimas. S. Neutrum placet. G. Rogemus

(d) SVICERVS ad *Claub. Ont.* §. 90. CLERICVS *Ont.* c. 4. §. 8. ABR. BVNGELER *diff. de ideis rev. poss.* p. 45.

(e) L. 6. scilicet 3.

(f) Immo ob *Transsubstantiationem*, vti patet ex sequentibus verbis.

(g) *Part. 2. epist. 6. §. 6.*

(h) Optime hunc nodum soluerunt *Doctissimus IO. CLERI-*

CVS Ont. c. 4. §. 4. seqq. Acutissimus & *GRAVESANDE Metaph. §§. 11. 12. aliique.*

(i) Lectu digna sunt, quae c. l. *PVNGELER. diff. de ideis rerum poss. c. 2. notauit.*

(k) *Quaest. 46. libri octoginta trium quaestionum, Opp. Augustini tomo 4. col. 549. edit. Basiliensis 1569.*

gemus serio eosdem Philosophos, num sibi persuadeant, Deum, qui neque vult, neque potest velle *ἀκούσατος* *ἀνεπιδήσια*, posse efficere, vt, proposita parametro a, & abscissa x, concipiatur describi parabola Apolloniana, cuius semiordinata sit $\equiv x \dagger Vax$; aut, hac assumpta semiordinata, non prodituram hyperbolam aequilateram. Id si adfirmant, censebuntur non attendere ad id, vt verbis vtar ipsius *Cartesii* (l) quod vulgo aiunt Philosophi, *essentias rerum esse indivisibiles* (m): *ideae enim, quae repraesentat rei essentiam, si quid addatur, aut detrahatur, protinus fit alterius rei idea: censebuntur concedere, idem posse simul esse, & aliter esse: nam si res nominas, & essentias earum verbis explicas, propositionem habes identicam, seu cuius subiectum & praedicatum idem plane significant* (n). Sed *Cartesius* id, amotis, quos timendos censuisset, arbitris, numquam affirmasset. S. Qui scis? G. Perspicue illud ex aliqua eius argumentatione (o) intelligitur: nam probaturus existentiam perfectissimi Numinis aeternam ex eo solo, quod mens percipiat existentiam necessariam & aeternam in entis summe perfecti idea contineri, illud ex ea idea dicit ita plane concludendum esse, vt ex eo, quod, exempli gratia, percipiat mens in idea trianguli necessario contineri, tres eius angulos aequales esse duobus rectis, plane sibi persuadeat, triangulum tres angulos habere aequales duobus rectis. Hanc si quis iudicii trutina examinaverit ar-

E 2

gumen-

(l) *Responson. quint. ad 3. Medit. s. 10. p. 68. edit. Amstel. 1685.*

(m) i. e. immutabiles supr. p. 13. Conf. Cl. GYL. AB-IRHOVEN *Disq. Pneum. de Int. fac. vere atq. s. 70.*

(n) Incredibile dictu est, quam inani & falso exemplo (dum duas *Secundum Deum* naturas non distinguit) summissimum hocce demonstrationum fundamentum di-

nuere studuerit BAYLIUS dans son *Dictionaire Historique & Critique, l' article Luther*, rem. KK. p. 1827. Acuta hac de re disputatio reperitur in *Quaestionibus de potentia Dei disputatis a THOMA AQUINATE*, quae (quod MSCto codice sum visus, paginam indicare nequeo) sic incipit: *Tertio queritur, utrum ea, quae sunt nature cet.* (o) Quae occurrit *Principiorum Philosophiae parte 1. §§. 14. 15.*

gumentationem, nae ille facili negotio animaduertet, aut *Cartesium* debuiffe existimaffe, ideam aeternae diuini numinis existentiae non esse necessariam: aut, ea si fit necessaria, essentiam trianguli esse immutabilem. Prius *Cartesius* dixisset veracitati & bonitati diuinae contrarium (p); proinde posterius fateatur esse verum, neesse est. Hinc ergo patet, *Cartesium* non existimaffe, Deum potuiffe efficere, vt, quae eadem sunt, sint diuersa. S. Sed inter 7^o dicere, impossibile, ait *Claubergius* (q), & dicere, possibile, datur medium, videlicet suspendere iudicium. G. De eo non disputatur: sed mihi dicas velim, num medium detur inter rei identitatem & diuersitatem. S. Nullum inuenietur vnquam. Sed non ita elabere. Deus, esto, non potest efficere, vt, quae inter se repugnant, a Philosophis contradictoria dicta, queant simul existere: indene videtur tibi concludendum, Deum contraria non potuiffe statuere? Non valemus bilineum retilineum concipere: concedo: sed potuiffet talis creati mens, quae non illud modo, sed quicquid tu fieri posse pernegas, facile comprehenderet. G. Mentis, quae nunc existunt, fateris, res aliquas, tanquam necessarias, concipere: quod si Deo visum fuisset, potuiffe eum affirmas alias condere mentes, quae plane alias habeant ideas earum rerum, quas necessarias vocamus: an earundem, quas nos cogitamus, an aliarum, & ab iis diuersarum? S. Earundem omnino. G. Ergo ita argumentare: Idem, si Deus alias mentes creaffet, maneret idem, sed tamen existeret diuersum. Praeterea. S. Define, quaeso: res est perspiciua. G. In praesenti si non vacat plura argumenta audire, domi legito *Abr. Pungelerum* (r), Theologum eximium & Philosophum subtilem, vt facile *Acuti Roellii* discipulus cognoscatur. Sunt, sunt profecto multi, iique egregii, Philosophi Cartesiani, virtutis non minus, quam veritatis studiosi, quibus *Cartesius* (s) videtur

(p) *Meditat. 4. Conf. Medit. 3.* (r) *Diff. de ideis rerum poss. in extr.*
 (q) *Nota ad Ontosoph. S. 90.* (s) *Part. 2. epist. 6. §. 6.*

videtur ludere, talem nobis dicens mentem a Deo inditam, quae nequeat montem sine valle concipere, sed potuisse indiam. Si quis autem fuerit, quem in *Cartesii* verba iuuet iurare, is libere philosophantem in libero nostro Belgio (t), Musarum iam tum augusto domicilio, audiat *Cartesium*, ipsum, inquam, *Cartesium*, tum sine timore, philosophandi libertate in republica libera utentem: sic enim ille Meditatione quinta: *Quod hic maxime considerandum puto, inuenio apud me innumeras ideas quarundam rerum, quae etiamsi extra me fortasse nullibi existant, non tamen dici possunt nihil esse; & quamuis a me quodammodo ad arbitrium cogitentur, non tamen a me finguntur, sed suas habent veras & NB. immutabiles naturas: ut cum, exempli causa, triangulum imaginor, etsi fortasse talis figura nullibi gentium extra cogitationem meam existat, nec unquam exiterit, est tamen profecto determinata quaedam eius natura, siue essentia, siue forma NB. immutabilis & aeterna.* Aut *Cartesius* docuit inter se repugnantia, aut alterum ex animo scripsit, alterum praeter animi sententiam: vero autem similius esse, neminem, arbitror, negaturum, eum in litteris ad amicos religiosos datis suas doctrinas dissimulasse, quam in meditationibus sibi et ipsi suum fecisse. S. Triumphum, caue, ante victoriam canas! *Cartesius* mihi quidem eius Meditationes legenti visus est significasse verbis a te modo recitatis, *res habere essentias*, nobis, non Deo, *immutabiles*; seu, *quae a nobis non sint effectae, nec a mente nostra dependant.* Illud ne dicis causa affirmare censear, rationes meae reddam sententiae. Primum Meditationes Philosophus sagacissimus non sibi scripsit, sed easdem editurus Sorbonae, & amicis, quos ingenii acumine nouerat excellere, quos iudicio praestantes, quos eruditionis gloria inclitos, examinandas misit. Quae cum ita sint, quis est, qui suspicetur, Virum prudentem quidquam scripsisse (si verum sit, quod tu antea (u) opinabare)

E 3

quod

(t) CARTESIVS suas Meditationes in Belgio commentatus est.

Medit. CARTESII §. 12.

Vide CLAVBERG. *Lect. ad 1.* (u) pag. 27. 28.

quod quis potuisset religioni Pontificis Romani existimare contrarium? Deinde eadem illa quinta Meditatione (x) *inde*, quod omnia a Deo pendeant, qui non sit fallax, *se colligere*, dicit, *illa omnia, quae clare & distincte percipiat, necessario esse vera*. Denique Responſionibus quintis, de iis agens (y) quae in quintam Meditationem erant a P. Gassendo obiecta, negat *se statuere, essentiarum immutabilitatem a Deo non pendere, se putare affirmans, quia Deus sic voluit, quia sic disposuit, ipsas esse immutabiles & aeternas*. Sed hoc postremum argumentum, animus mihi praesagit, te facile eneruaturum. G. Ego conuictum cum eruditis & prudentibus propterea semper feci maximi, quod, quae tute minime cogites, te docere possint, aut commonesfacere. Haud vana isthaec tua, Sophocrate, est suspicio: sed si quid mihi quoque sit integrum suspicari, videtur credibile, *Cartesium*, hominem acutum & circumspectum, ita hanc doctrinam proposuisse, ut, si qua sibi intendatur ab sacrorum antistitibus controuersia, se extricare posset. Adeo ambigue, quod Philosophum minime decet, Meditatione quinta (z) locutus est, ut paene nescias, censueritne, demonstrationum euidenciam, & ut vocant, certitudinem ab ipsis distinctis, quos de rebus demonstrandis formamus, conceptibus; an a Dei veracis bonitate esse deriuandam: an vero, quoad demonstratio ipsa animo obuersatur, propterea quod rem *clare & distincte percipiamus nos credere* (quidni scire?) eam *veram esse*; sed tum demum, *si ad rationes, propter quas tale quid iudicauimus, non amplius attendamus*, ad attributorum diuinorum considerationem, ne amittamus *veram de rebus & certam scientiam*, aut scientiae demonstrationibus comparatae certitudinem, esse recurrendum. Quod postremum si statuit *Cartesius*, essentias rerum esse natura sua immutabiles, existimari, necesse est, neque a voluntate Dei argumentum esse petendum, nisi ut, nostram veritatum demonstratarum recordationem erroris esse inmu-

(x) p. 35. edit. Amstel. 1685.

(y) p. m. 72.

(z) p. m. 34.

immunem, cognoscamus. Sed rem integram eruditis iudicandam relinquo. Quod si vero existimes, nobilissimum *Cartesium* re vera a Dei voluntate essentias rerum deriuasse, profecto circulum in demonstrando commisit. Quid enim? Dei existentiam inde probat (a), quod non minus clare & distincte intelligat, ad entis summe perfecti naturam pertinere, ut semper existat, quam id, quod de aliqua figura & numero demonstrat, ad eius figurae, aut numeri naturam etiam pertinere. Deinde, omnis scientiae, ait (b), certitudinem & veritatem ab vna Dei cognitione pendere, illam si ignoremus, de nulla vniquam re veram & certam scientiam, sed vagas tantum, & mutabiles opiniones nos habituros (c). Nonne hoc est Dei existentiam ex distinctis perceptionibus, & conceptuum veritatem ex diuinis attributis demonstrare? Quid est, si non hic orbis in demonstrando est? Quoquo igitur te veritas, aquam tibi haerere, animaduertis. S. Sed nollem essentias rerum a Deo independentes statuere. G. Neque, id ut statuas, opus est. Multi Philosophi Acutissimi omnis veri diuinum intellectum solent appellare fontem, seu originem. Celeberrimus de Vries, & ipse alicubi (d) pro primo, siue ultimo possibilitatis internae fundamento intellectum diuinum habens, cum omnisufficiencia Dei immediate cohaerere possibilis, quatenus accurate loquendo haec dicunt denominationem in illa fundatam, docuit (e), eaque dependere omnino a Deo, tanquam ab omnisufficiente causa, perfectiones eorum virtualiter includente: quamquam non formaliter tanquam ab indifferenter illa volente. Volente, addit, indifferenter, voluntatem, quam vocant approbantem, neutiquam excludens. Subiungit: possibilis (quae ex omnisufficiencia diuina tanquam ex fonte proxime scaturiunt) talia sunt, Deo volente & probante, non tamen proprie idcirco talia sunt, quia Deus ea talia esse voluit.

Alii

(a) *Meditat. 5. p. m. 32.*

(b) *Ibid. p. m. 35.*

(c) *Ibidem p. m. 34.*

(d) *Exercitat. Rational. 21. §. 8. p. m. 169.*

(e) *Disquisitione de Contradictoriis Deo possibilibus §. 17. inserta Philosophematis miscellaneis additis Exercitation. Ration. p. 386. edit. Ultraiect. 1695.*

Alii id paullo aliter explicant, quod in praesenti mea nihil refert. Demonstrasse sufficit, rerum essentias a Deo non posse immutari. S. Immutabiles si statuatur rerum essentiae, Cartesianos, viros optimos, credo, vereri, de potentia supremi numinis ne non magnifice satis sentiantur, ne non ample satis censeatur (f). G. Potentia Dei, quae, uti diuina attributa omnia, infinita est & ἀπείροτος, versatur circa ea, quae fieri possunt; neuriquam vero circa ἀδύνατα est autem ἀδύνατον, diuersa posse simul esse idem (§. 7.). Cl. Pungeler, Herbornensium, dum viueret, Theologus integerrimus et religiosissimus, est possibilis intrinseca, inquit (g), aestimanda ex rei idea, in qua si nulla occurrat praedicatorum essentialium pugna, res repraesentata possibilis dicitur. Si vero alterum praedicatorum alterum eueriat, impossibilis erit, hoc est, talis, quam ne ipse quidem efficere Deus possit (h). Ouum, vix credo, ouo similius, aut lacti lac, quam huic sententiae est sententia Clarissimi de Vries aliis licet verbis exposita: sic enim ille (i): Quae usque adeo incompatibilia sunt praedicata, ut intellectui ne quidem repraesentari possint, isthaec omnia a potentia diuina secludimus, ob ipsam eius perfectionem. Merito Cl. Grauesande Philosophus pereximius, si quis dicat, Deum posse triangulo quatuor angulos dare, non destructo triangulo, ita ut tres anguli essent quatuor anguli; negat (k), huius effati vllum conceptum se posse effingere. Deus potest omnia, vnde maxime & rectissime omnipotens vocatur & παντοκράτωρ sed contradictoria potentiae nullius sunt obiecta (l): nam quod ἀδύνατον est, quisque intelligit, nihil esse. Facete antiquorum Scriptorum aliquis dixit, Deum, quia nihil non potest, posse omnia. Celsum iam olim, & Originem scripsisse, Deum nec velle, nec posse τὰ παρά

(f) CLAVBERGIVS in nota ad
Ontosoph. §. 90.

(g) Dissertatione de rerum possibili-
bilium ideis in Deo p. 7. & 8.

(h) Confer. p. 9. 10. 11.

(i) Exercitas. Ration. 21. §. 6.
p. m. 168.

(k) Metaph. part. 1. c. 1. §. 11.

(l) GVL. KINGIVS S. T. D.
Episcopus Dercensis libr. de Ori-
gine mali c. 3. §. 2.

παρὰ φύσιν, & ἀδιανόητα, notavit eruditissimus & disertissimus Io. Laur. Moshemius (m). Iam vero illud vide: ipsi illi Cartesiani, qui rerum existimant essentias esse mutabiles, nonne negant, nonne se negare profitentur, Deum posse factum reddere infectum, posse suas perfectiones abnegare, posse infontes condemnare, & quae eius generis sunt alia, & rationi & sacris litteris (n) contraria? quis, nisi bardus, aut amens, eos ita sentientes, aut loquentes diuinæ omnipotentiae quid detrahere, sibi persuaderet? Essentiae rerum si sint mutabiles, si a diuina voluntate pendeant, expone nobis, cur Deus noluerit blanda plerisque hominibus vitia esse virtutes? cur, quod turpe est, Deus non possit facere honestum? Quoniam tandem modo iuris naturalis praecepta demonstrabis, (sed demonstrari posse nouimus) optime a *Iustino Martyre* (o) *διὸντι δινατα* appellata? Rectissime Vir summus, & maximus, dum viueret, eruditi orbis Atlas, *Hugo Grotius* (p) *ius naturale adeo immutabile dicit, vt ne a Deo quidem mutari queat*. S. Nonne praestat, ignorantiam fateri & praese ferre suam, quam mentis aciem scrutandis Dei attributis intendere? & Et nostram ignorantiam agnoscere & fateri, conuenit, & Dei attributa, quantum in nobis est situm, scrutari, vt ad religionem magis incitemur, & verum distinctius cognoscamus. Concilianda mihi est in praesenti libertas humana cum diuino decreto: qua ratione, amabo, id fiet, quam diu dubium est, & incertum, quamdiu controuersum, num essentiae rerum Dei omnipotentia queant immutari (q)?

F lane

(m) *Obseruat. ad CVDWORTHII Systema Intell. p. 769.*

(n) 2 *Timoth. 2. vs. 13. Hebr. 6. vs. 18.*

(o) *Dialogo cum Tryphone, Opp. p. 50. init., ex officina Roberti Stephani Lutet. 1551. Ab AVGVSTINO legem aeternam sacpius vocari, me docuit Consul-*

tissimus Traiectinorum Antecessor ABR. WIELINGIUS append. *Orat. de finibus iurispr. regulis.*

(p) *L. 1. de iure belli & pacis c. 1. §. 10. n. 5. pag. 12. edit. Clarissimi Barbeyracii.*

(q) Nisi essentiae rerum statuantur aeternae & immutabiles, actum

Iam in scientiis contra omnia differendi, nullamque rem aperte iudicandi ratio, cuiusmodi in *Philosophia profectam a Socrate, repetitam ab Arcefila, confirmatam a Carneade* dixit Cicero (r), quam & ipse in disputationibus Philosophicis strenue secutus est, vsque ad nostram & posterorum vigeat aetatem? Etiam nunc mihi scripta illa sententia est in animo magni Viri (s), *Lepidum hoc eugenae*, inquit, & felicissimum est disputandi compendium, si ex diuinis perfectionibus argumentanti aduersario respondere non possis, negare, te aut comprehendere, aut effari diuinas perfectiones posse. Hac ratione nullus de Deo error umquam refutari poterit. Nequicquam is peccat contra modestiam, ait Cel. de VRIES (t), quicumque ea de Deo definit, quae definienda esse, docet ratio. S. Ita prorsus videtur: sed, iam tempus fore, existimo, hoc argumentum concludendi.

§. VIII.

G. Probe a Philosophis definitur *essentia*, cum eam esse dicunt illud, quo res id est, quod est (§. 2.): quod tale autem, id etiam, quoad res eadem est, necessario manet idem (§. 2.): quod autem necessario manet idem, illud est immutabile: Essentiae igitur rerum sunt immutabiles.

S. Meministine, Germane, te essentias rerum dixisse (§. 2.) aeternas? G. Memini. S. Pergratum mihi feceris, id rigide si demonstraueris.

G. Essentias rerum recte defini ante obseruauimus (§. 1.) internam, barbaram intrinsecam, possibilitatem: proinde rerum essentiae sunt id, per quod res sunt possibiles. Quicquid est possibile, illud simul nequit esse impossibile. Concludendum est inde, essentias rerum non posse simul esse impos-

actum esse de scientiis, obseruauit CVDWORTHVS Syst. Intellect. p. 382. & GER. de VRIES Disq. de Contrad. Deo possibilitibus §. 9.
(r) L. 1. de Nat. Deor. c. 5. Lege sicut Cl. GRAVESANDE Orat.

de Euidencia p. 25. 26. SENEC. ep. 88. extr.
(s) Apolog. Symboli Dordratenae §. 25. p. 177.
(t) Philosophematum Miscell. add. Exercitat. Rational. p. 387. edit. Ultraieci. 1695.

impossibiles. Quicquid nequit simul esse *adversarior*, illius oppositum est impossibile: cuius oppositum est impossibile, illud necessarium esse, vnusquisque intelligit: quod autem necessarium, id non potest non esse: illi vero, quod non potest non esse, possibilitatis initium nulla ratione potest tribui: quod tale, illud aeternum est: essentias ergo rerum liquet esse aeternas.

Ex principiis Ontologicis me euidenter satis, existimo, essentias rerum cum immutabiles esse, tum aeternas, demonstrasse. S. Quid, si cui videatur durum, statuere aliquid immutabile & aeternum, aut necessarium quidquam, praeter Deum? G. *Merito sic videretur*, verba sunt illustris *Cartesii* (u), *si de re existente quaestio esset*. Rerum vero essentias dum aeternas nuncupo, nihil intelligo, nihil significo aliud, quam ex omni aeternitate intellectui diuino ideas, veluti rerum possibilitium imagines, aut exemplaria, fuisse obuersatas, seu perspectas. Erroribus vt fontes praeccluderem, initio disputationis (§. 1.) sollicitè rerum essentias ab earundem existentia distinxì, essentias rerum finitarum non esse argumentum earum existentiam demonstrandi, non obscure significauì; quo clariora omnia & distinctiora essent, quoque hominum longe eruditissimorum *Pet. Gassendi* (x), *Sam. Werenfelsii* (y); aliorum quoque essentiam ab existentia non accurate satis distinguentium (z) obiectiones euitarem, Philosophos acutissimos secutus *essentiam definiui internam rei possibiliti-*

(u) *Respons. quint. ad Obiectiones contra 5. Mediat. p. m. 72.*

(x) *Obiect. quint. in 5. Meditationem CARTESII p. m. 42.*

(y) *Iudicio de argum. CARTESII pro existentia Dei §§. 7. 8. 9. seu pag. 201. & 202. tom. 2. Opp. edit. Lausan. & Geneu. 1739.*

Argumentatio CL. WERENFELSII si, vti Doctissimus Auctor haud dubie eam

intellexit, accipiat, Philosophantium meretur attentionem. Consuli tamen potest SVAREZ. *Opp. t. 2. p. 206. col. 1. B. edit. Paris. 1619.*

(z) *Ansam essentias rerum cum existentia confundendi, opinor, vulgarem essentiae, quod sit id, per quod res est, quod est, definitionem praebuisse; quasi essentiae fundamentum sit existentia.*

bilitatem (a): existentiae quoque notionem ea definitione explicauit, qua perpetuo ab essentia discernatur. Igitur nemini erit religio dicere, aeternas esse rerum essentias & immutabiles.

§. X.

Cum ea, quae essentiam constituunt, *essentialia* nuncupentur, non dubito, quin concessurus sis, essentialia, sua cuique rei, esse constantia. S. Inde ab ineunte adolescentia eam mihi legem dixi, vt eorum nihil inficiet, quae vera esse perspiciam.

§. XI.

G. Essentiae rerum cunctarum ab aeterno fuerunt obiectum intellectus diuini. S. Hoc qui neget, haud sane intelligo, quidnam fit, quod verum arbitretur.

§. XII.

G. Intellectus diuinas essentias rerum non mutat. S. Ex iis, quae de rerum dicta sunt essentiis (§. 9.), haud difficulter illud percipio: sed idem demonstres velim ex Dei attributis. G. Nihil facilius, aut iucundius.

§. XIII.

Deumne statuis ab omni aeternitate omniscium? S. Hoccine quisquam neget, qui ex distinctis ratiocinetur notionibus? G. Omniscientia est adaequata cognitio eorum omnium, quorum nulla est repugnantia, id est, possibile: iam vero interna rerum possibilitas est earum essentia (§. 1.) ergo Deo essentiae rerum ab aeterno sunt obuersatae, quod ipse modo (§. 11.) concessisti: neque minus concedes, Deum esse immutabilem: ergo ita sibi repraesentauit essentias rerum, vt eas non mutarit; nam in iis si quid mutasset, ortae fuissent

(a) Videtur eadem essentiae notio obuersata animo SVAREZII, *entitas in potentia* (i. e. essentia), iniquentis, ex parte rei crea-

bilis solum dicit non repugnantiam, aut potentiam logicam, Disp. Metaph. 31. sect. 6. tom. 2. p. 170. col. 2. B.

fuiſſent cogitationes nouae, quod de Deo ſine exſecratione dici nequit. Quid? quod intellectui diuino. vtpote perfectiſſimo, verae rerum ideae obuenerent: ſed *αὐτοῦ δῶν*, (in quorum numero eſt, idem eſſe idem & ſimul diuerſum) notiones formari nequeunt, niſi deceptrices (§§. 2. 7.), ſeu, vt Io. Alph. Turretinus (b), Theologus Celeberrimus ait, *quae ſe mutuo euertunt, vt circulus quadratus, mons ſine valle cet. ſunt merae voces ſenſu vacuae, mera abſurditas, merum nihil, termini, quibus illa exprimi videntur, ſe inuicem deſtruunt, atque ſimul coniuncti nihil ſignificant.* Igitur ipſa intellectus perfectiſſimi conſideratio nos cogit concludere, eſſentias rerum ab eo non mutari. S. Vereor ne diuinus intellectus limitibus circumſcribatur. G. Limitibus? quibus tandem? Ergone exiſtimemus, Deum plura poſſe intelligere, quam ipſe intelligi poſſe, adaequate intelligit? Eos vero amice monendos, iudico, ne quid inconſulte diuini intellectus perfectionibus detrahant, qui nihil ſtatuunt poſſibile, niſi quod futurum ſit.

S. Vt aliud ex alio incidit, quomodo, quaefo te, haec doctrina cum Dei independentia cohaeret? G. Optime. Quoniam ingenii noſtri imbecillitas longiſſime infra entis perfectiſſimi altitudinem ſubſidit, adhibenda eſt, quae eam ſubleuet, diſtinctio, licet ſimplicitati naturae diuinae contraria. Igitur conſideremus intellectum Dei ante decretum. Pependitne ille a rebus, quae nondum erant? an ab rerum ideis, quas veluti ex ſinu ſuo, (ſateor apta mihi, de infinito ſpiritu loquenti, deeſſe vocabula) producit, immo productas ſemper intuetur diſtinctiſſime & liberrime? an forſitan illae eſſentiarum ideae acceſſerunt Deo aliunde? vnde ergo? nihil praeter Deum erat. Sed taedet me illis nugis, ineptiis, ſterilibus quaefitiunculis immorari diutius! S. Nonne Deus ſe poſteſt cognoscere, niſi eſſentias rerum quaſi contempletur?

F 3

tur?

(b) Solutione quaefitionis, an con-
tradictoria credenda, §§. 4.
& 6. inſerta Gundlingianis

part. 14. p. 340. ſeqq., & denuo
cum alijs Cl. TURRETINI
ſcriptis edita.

tur? G. Potestne Deus esse, qui non sit omniscius? qui obiecta suae omnipotentiae, aut eorum ideas ab intellectu suo remoueat?

S. Affirmandum video, ab intellectu diuino essentias rerum non immutari. Proinde praestabit progredi, quam iisdem diutius vestigiis insistere.

§. XIII.

G. Essentiae spirituum, sicuti generatim rerum omnium, sunt aeternae, sunt immutabiles (§§. 1. 9. 12. 13.); sed eorum existentia (§. 1.) est contingens. S. Ita est: nam minime absurdum foret, si cogitemus, eos posse non existere (c).

§. XV.

G. Spiritus est substantia intellectu praedita & voluntate.

S. Probe: nam huic vocabulo nouimus eam significationem accurate loquentium vsu tributam: tales autem res, quibus ea spirituum definitio conueniat, existere, abunde constat.

§. XVI.

G. A Deo optimo maximo ita sunt creati spiritus, vt agendi, vt semet ipsos determinandi polleant facultate. S. Quid? si illud negem? G. Ad experientiam prouoco. S. Argumentum illud ab experientia petitum, vereor, ne Philosophi quidam flocciendant: *Malebranchiumne* (d) legisti? G. Quidni illum legerim? S. Et, qui eius insistent vestigiis, homines eruditos & naris emunctae? G. Eorum aliquos. S. Itaque mihi non sit verisimile, tibi ignotum esse, ab aliquibus doceri, nos, vtrum mens suapte natura, an a Deo impulsâ (de negotiis naturalibus loquor & ad Philosopho-

(c) VERSINVS operum Theol. t. 1. p. 60. A. Necessarium est, quod aliter se habere non potest, Contingens, quod est quidem, aut fit, sed aliter tamen esse aut fieri poterat.

(d) De la Recherche de la Veri-

te l. 3. p. 2. ch. 3. les Eclaircissemens sur le 1. ch. du premier livre du même traité, & ailleurs. Vide his, quae contra eum facundus GROSZ. Log. p. 1. s. 1. c. 13. a. §. 5. vsque ad §. 16. disputauit.

sophorum disquisitionem pertinentibus) agat, nullo modo posse experiri. Aliis ergo rationibus opus est: alia haec tractatio postulat argumenta. Labora vero, Germane, ne tuam causam, in qua tibi cum *Malebranchio*, acuto Philoso- pho, magnam sentis luctationem esse, deseras.

G. Non cum hoc solum, sed cum *Democritico* eti- am & *Lipicuro* (e), totaque, quae atomos in seenam pro- ductas cum applausu contemplata est, Philosophorum ca- terua, &, qui ab iis alias dissident, hac autem in re cum iis paene consentiunt, *Scoticis* (f), mentem nihil intelligere, nihil appetere contendentibus, nisi externis corporeisque causis impulsam & incitatam. S. Productas in aciem cer- nimus aduersariorum copias: age, age, tuum vicissim ex- plica agmen.

G. Spiritus iure meritoque vocari substantias, a te mi- hi concessum est (s. 15.) S. Neque illud repesco. G. Sub- stantia omnis existit. Quicquid existit, aut agit, aut pati- tur aliquid, aut vtrumque de eo potest praedicari. Scisne quantum? S. Non profecto. G. Si substantias aut agere, aut agere & pati simul, largiaris? nihil mihi superest pro- bandum: habeo, quod volo. S. Pati eas tantum, neque ip- sas agere, ex aliorum sententia libitum est in praesenti affir- mare. G. Agedum, quid passionem vocas? S. Eam status mutationem, cuius causa extra eam rem, in qua aliquid mutatur, est constituta. G. Si substantia a causa externa mu- tatur, id est, patitur, eius modi variantur. S. Omnino: nam mutationem cuiusque rei perdurantis docent Ontologi consistere in modorum variatione. G. Modi omnes in li- mitationibus consistunt. S. Profecto. G. Facile iam est in- tellectu, substantias, quotiescumque patiuntur, aliter, quam antea, limitari. S. Certe. G. Quaelibet res finita semper certo modo est limitata. S. Recte. G. Nequit substantia tantum a rebus externis limitari, id est, tantum pati: nam nisi

(e) Vide R. CUDWORTHI *Syste- ma Intellect.* p. 1138.

(f) Contra eos disputavit BOE-

THIVS de *Consol. Phil.* l. 5. metr. 4. Confer notas BENATI VALLINI p. 93.

nisi ipsi resistentia inesset, destrueretur plane, non limitaretur. S. Nondum in tua argumentatione acquiesco. G. Alia aggrediar via. Modi ex subiecto in aliud non transeunt, sed a rebus externis dumtaxat limitantur: vnde sequitur, modos aliquos inesse substantiae ante, quam ab externa causa mutantur: horum autem modorum, qui iam antea insuerunt, ratio nusquam potest inueniri, nisi in ipsa, cui insunt, substantia: finitas autem substantias cum modis, tum relationibus determinari, a nemine vocatur in controuersiam, quae determinatio a Metaphysicis *status substantiae* appellatur. Ergo substantiis finitis eiusmodi *status* tribuendus est, cuius ratio *sufficiens in iis ipsis substantiis continetur*: talis autem status, vti optime (g) definiuit perspicacissimus Philosophus & Mathematicus, Cl. ENGELHARDVS Noster (h), est *actio*. S. Distincte et dilucide. Laudo. Virum summum Leibnitium (i) meminisse dixisse; *actionis notio quam non sit facilis, ex metaphysicorum certaminibus constar*. G. Substantiis igitur conuenire actionem concipis. Cuicumque recte tribuitur actio, eidem vis conueniat, necesse est: omnis ergo substantia vi quadam est praedita. Spiritus cum sint substantiae (§. 15.) vi quadam eos pollere, certum est. Cum autem substantiis finitis, quales esse spiritus creatos, non negabis, nequeant omnia, quae iis conuenire possunt, simul inesse, manifestum esse opinor, spiritibus illis tribuendam esse agendi possibilitatem: sed, vbi non existit vis, illic neque facultatem (ita enim agendi possibilitas vocatur) existere, docet ratio: igitur spiritibus vera operatio conuenit (k) & continua, qualiscunque tandem illa sit, (nam

(g) Nam *actio* ita definita Deo non minus potest tribui, quam rebus ab eo conditis.

(h) *Metaph.* §. 163.

(i) *Act. Erud. Lipsiens. anni 1698. pag. 432.*

(k) Aliquanto distinctius haec explicuit Clariss. ENGELHARDVS *Metaph.* §. 230. 231. 232. THOMAS AQUINAS libro de ente & essentia c. 1. extr. nulla res, inquit, propria destituitur operatione.

(nam in praesentia, id scire, nostra nihil interest) actiuitas, ab actionibus differens, vti permanens ab successiuo.

S. Quid istuc est? G. Spiritibus finitis tribuisne tempus internum? S. Ego vero. G. & mutationem? S. Certe. G. Sed quod mutatur, esse actiuosum, supra (*) demonstratum est: spiritus si vel vnicum temporis momentum desisteret operari, in tempore esse desineret: ergo spiritus, etiam eo tempore, quo sibi nullius rei est conscius, aliquid agit. S. Quid? si nihil agat? G. Tum desit existere. S. Corpus potest quiescere aequae, ac moueri. G. Haud mirum. Corpusne status substantiam esse, an substantiarum aggregatum. S. Sane ex substantiis compositum; constat enim ex suis elementis. G. Quid? censet elementis vim motricem aliquando non competere? S. Tribuerem vim continuam (l). Hucusque de spirituum actiuitate quae disputasti, omnino videntur verissima. Aliqua vero animi meum torqueri dubitatione, nolo dissimulare, quam vt discutias, vehementer te rogo. G. Discutiam lubens, si poterit. S. Solus Deus est *αὐτῶς* solus necessario existens. Spiritus creati, quandoquidem *αὐτῶς*, seu cum Caluino (m) vt loquar, a se ipso existens, iis, vt pote rebus contingentibus, tribui nequeat, perpetua indigent Dei conseruatione, quae est continuata creatio: spiritus igitur, dum a Deo conseruantur, singulis momentis, seu potius, quolibet instanti, creantur: quod continuo, seu quouis instanti creatur, illud ipsum non potest agere: videtur inde concludendum, spiritibus actiones falso attribui. G. Verissimum sane est, nullas res creatas posse in existendo pergere, nisi a Deo conseruatas: verissimum est illud rationis praeceptum, conseruationem esse continuatam creationem; sed inde, nisi peruerso illud dogma explicetur, posse concludi, spiritibus non conuenire actiones, id credat

G

Iudae-

(*) pagg. 51. 52.

(l) *Acta Erudit. Lips. Ao. 1695.*

p. 145. seqq. Haec sunt notanda contra MALEBRANCHIUM

dans les *Eclaircissements sur le*

3. *livre de la Recherche de la Verité* p. 124.

(m) *Institut. Relig. Christ. l. i. c. 14. §. 3.*

Iudaeus Appella: mihi quidem numquam fiet verisimile. Deus (*n*), dum spiritus primum creat, eos, qui antea non existerunt, ad existentiam perducit: qua creatione quisque spiritus fit substantia ab omnibus rebus distincta, fit res singularis, & talis manet, quoad a Deo conseruatur. Conseruatio Dei efficit, vt res semel creata pergat existere, vt perseueret esse eadem substantia, varie licet modificata. Mihi quidem non videtur probabile, te existimare, dum conseruationem vocas continuatam creationem, substantias creatas quouis instanti in nihilum intèrire, earumque loco nouas creare: sic enim entia temere multiplicares; sic easdem substantias non statueres existendo perseuerare, sed continuo nouas creare. His verbis, cum conseruatio continuata dicitur creatio, hanc sententiam subiectam, autumo: substantiae in nihilum reciderent, nisi eadem voluntatis infinitae efficacia, qua eas ex nihilo creauit, Deus singulis momentis efficeret, vt eae pergant existere. *Nihil obstat*, inquit Illustris Leibniius (*o*) interprete Viro, dum viueret, eruditissimo & rerum metaphysicarum studiosissimo Desbosses, quo minus actio illa conseruatiua, productio, immo, si lubet, creatio vocetur, neque enim minor est creaturae dependentia deinceps, quam ab initio, nec denominatio extrinseca nouae, vel non nouae naturam rei immutat. Deus autem, qui sapientissime agit omnia, res ita conseruat,

(*) Hanc disquisitionem si quis inutilem existimet, cum profecto historiae litterariae & rerum a viris eruditis atque acerrimo ingenio, & nuperrimo, & hoc saeculo, disputatarum ignarissimum esse oportet. Consulti possunt IAQUELOTIVS dans l'Examen de la Theologie de Mr. BAYLE part. 2. ch. 7. pag. 276. & les suiv. & LEIBNITIVS Theod. §. 386. seqq. Ceterum iam olim multos soli Deo substantiarum, praecipue

corporarum, actiones tribuisse, inter omnes constat, qui THOMAM AQUINATEM legerunt. Multis ille argumentis hanc haeresin impugnat l. 3. contra gentiles c. 69. Opp. tom. 9. fol. 312. seqq. edit. Antv. 1612. Conferri ab historiae philosophicae studiosis poterit Cl. MOSHEM. Obseruat. ad CVDW. Syst. Int. p. 658. 659.

(o) Theodicaeae spbo 385. Conf. §§. 31. & 292.

seruat, vt illae conuenienter suae naturae existant: iam vero supra (*) ostensum est, substantias perdurantes non posse concipi, nisi aliquid agentes: igitur spiritibus, cum illi ita a Deo conferuntur, vt iidem esse perseuerent, necessario tribuenda est actiuitas. Neque hoc impedit, quo minus Deo omnis actio (*virtualiter*) tribuatur (p): sed multa nos vetant, creaturarum rerum actiones Deo soli sapientissimo, potentissimo & sanctissimo adscribere (q): vetat Dei iustitia malos punientis, vetat Dei, vetat spirituum, quam animo formatam intuemur, idea, nos existimare; non spiritus, sed in spiritibus Deum cogitare. Omnes tamen spirituum praeclarae actiones diuinae bonitati sunt acceptae referendae.

S. Continentem orationem audiendi cupidus nihil te interpellauit. Sed, argumentatione conclusa, vix me contineo, quin aliquod telum in te retorqueam. G. Illud quidem praecisum minus nocebit. S. Entia, dixisti, non esse temere multiplicanda. G. Tunc id negas? S. Neutiquam vero: sed audi, obsecro. G. Argumentare: audio, attendo, ausculto. S. Spiritibus actiones tribuis. G. Tribuo. S. Neque ab iis Deum excludis; neque id fieri velim: sed si Deus, utpote sapientissimus, nihil facit frustra; quidni aut solus omnes actiones producit, aut causas, quas secundas vocamus, solas finit eas producere? G. Quoniam entia non sunt sine ratione multiplicanda, Deus causis secundis, eas conferuando, tantum largitur virtutis, vt possint suae conuenienter naturae operari, neque oporteat, nisi quum sapientiae

G 2

(*) pagg. 51. 52.

(p) THOMAS AQUINAS summ. Rel. Cath. contra gentiles l. 3. cap. 70. in quolibet agente (finito), inquit, est duo considerare, scilicet rem ipsam, quae agit; & virtutem, qua agit, sicut ignis calefacit per calorem: virtus autem inferioris agentis dependet a virtute su-

perioris agentis, in quantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti, per quam agit, vel conferuat eam, aut etiam adplicat eam ad agendum.

(q) Mr. JAQUELOT. dans l'Examen de la Theologie de Mr. BAYLE p. 2. ch. 7. pag. 268. & deus suu.

tiae diuinae videtur aut necessarium, aut conueniens, ipsum actiones *απερίας* producere. Tantum igitur abest, vt Ontologorum *κατά* de entibus non temere multiplicandis meam sententiam debilitet, vt eam e contrario corroboret & confirmet. Videtur autem eadem, quam tu inde modo mouisti, controuersia, si non prius, certe saeculo tertio decimo post natum humani generis Seruatorem torlisse Theologorum & Philosophorum ingenia, eorumque exacuisse industriam: Thomas enim, cui Aquinum cognomen dedit, de hac dubitatione tollenda sollicitus (r), patet, inquit, quod, si res naturalis producat proprium effectum, non est superfluum, quod Deus illum producat: quia res naturalis non producit ipsum, nisi virtute diuina: neque est superfluum, si Deus per se ipsum potest omnes effectus producere, quod per quasdam alias causas producantur. Non enim hoc est ex insufficientia diuinae virtutis, sed ex immensitate bonitatis ipsius, per quam suam similitudinem rebus communicare voluit, non solum quantum ad hoc, quod essent, sed etiam quantum ad hoc, quod aliorum causae essent.

S. Extrema Aquinatis verba commodam alio telo te petendi praebeant occasionem. Spiritus creatos, quis credat, creandi facultate praeditos? G. Nemo, nisi mente captus. S. Sed si ipsi agunt, ipsi ideas producunt, eas inter se conferunt, eas aut coniungunt, aut sejungunt; si ipsi ratiocinantur, & ex cognitis veritatibus eliciunt, seu priuato logicorum vocabulo vt vtat, inferunt incognitas; si ipsi, inquam, cogitationes producunt, formant, fingunt: quid, quaeso, alii agunt, quam creant? G. Obiectionem Viri longe celeberrimi Petri Baylii repetis, cuius eruditionem, sagacitatem & eloquentiam omnes eruditi admirantur, & omnis posteritas admirabitur. Sed auctoritati ne summorum quidem hominum Philosophia nihil tribuit; vni veritati tribuit omnia. Examinemus igitur rem iudicii statera. S. Vt lubet. G. Definitio, in propositionum numero si habeatur, est propositio identica atque *αξίωμα* vnde rationi, nemo negat,

(r) l. 3. summ. Rel. Cath. contra gentiles c. 70.

gat, esse consentaneum maxime illum Logicorum *καὶ ὅσα* cui non conveniunt notae omnes in definitione enumeratae simul, ei nec definitum convenit (*). Iam de creationis notione percunctemur scientiam rerum divinarum & humanarum profitentes; quorum cognita sententia, controuersia non poterit non esse iudicatu facilissima.

Missis reliquis ad explicandum sacrum codicem scitu necessariis huius vocabuli significationibus, quid per creationem proprie sic dictam intelligas, ediffere. S. Creatio est operatio alicuius entis, qua res, quae antea fuerat mere possibilis (s), incipit esse actualis. G. Adde, si placet, extra operantem. Evidenter enim & valide a multis est demonstratum, creationem esse actum transeuntem, non immanentem. S. Fateor. G. Quicquid creatur, illud existit extra createm (per defin.): quod extra createm existit, illud ab eodem realiter est diuersum: quod autem tale, illud est substantia a creatore distincta: omnis itaque res creata est substantia a conditore distincta. Haecine concedis? S. Quidni concedam? G. Iam quid sint spirituum finitorum operationes, & num iure illae creationis queant nomine insigniri, examinemus. Omnes, quas modo (*) recensuisti, spirituum actiones sunt iis immanentes; non sunt substantiae, non res extra spiritus existentes ab iisque diuersae. sed spirituum modificationes, iisdem nonnumquam ingratae, sed eorum naturae congruentes. Vides, amicissime Sophocrate, notas creationis definitione enumeratas spirituum finitorum

G 3

(*) Conf. supr. pag. 30.

(s) i. e. tantum essentiam habuerat, supra §§. 1. & 12. Alii, quod hic mere possibile appello *nihilum* vocant, rebus existentibus hoc opposites. Recte. Sed in scriptis PLATONIS & Platonicorum de mundo ex nihilo *ἐκ τοῦ οὐδενος* creato-differentium laet anguis sub her-

ba: per illud enim materiam intelligunt, quae (ita suspicor eos existimasse) rationi mundi inde creati quasi nihilum sit. Egregie, ut omnia, Cel. MOSHEIMVS dissert. de *Creatione ex nihilo* haec ostendit § 19. inserta CVDW. *hyst. Int.* p. 979. 980.

(*) pag. 58. extr. & 59. init.

torum actionibus non conuenire: quamobrem neque creationis nomine queunt adpellari. Sed hoc inter summas Dei perfectiones est referendum, quod res creet non mortuas, non inertes, sed operantes, & spiritus quidem agentes cum conscientia. S. Intellego, animaduerto, percipio.

Noli igitur a proposita materia digredi longius: qui iniecti erant, hos mihi ex animo scrupulos euulsos, sentio: spiritus finitos re vera agere, fateor; quod si negetur, haud sane intellego, quo modo primus scriptor *Θεόπνευστος* sit explicandus in Originibus (t) memorans, homines antiquissimos recusasse diuinum imperium. Quod experientia posse probari negaram, id Ontologicis demonstratum principiis deprehendo certissimum. Maxima profecto est Philosophiae primae in ceteris scientiis aut demonstrandis, aut explicandis & adprehendis, cum utilitas, tum necessitas. Praeclare *Baco* noster (u), Ontologiam, ad *Menem* Agrippae adludens fabulam (x), cum ventriculo comparauit, vnde omnibus artibus, omnibus scientiis doctrinisque, ipsi quoque Mathesi, succus & robor suppeditetur; at tu alia nobis suppedita demonstrationum principia.

§. XVII.

G. Spiritibus voluntas est essentialis; id est, si voluntate eos consideres orbatos, non manent caedem res (§§. 2. 15.) S. Nihil certius.

§. XVIII.

G. Nulla est voluntas sine libertate. S. Quidni? G. Voluntas est spiritus facultas appetendi rem, quae intellectui videtur bona; voluntatis est, vt ait *Caluinus* (y), *eligere & sequi, quod bonum intellectus dictauerit, aspernari ac fugere, quod ille improbauerit*: experientia autem docet, si plures

(t) c. 6. v. 3.

(x) *Liu.* l. 2. cap. 32. *Flor.* l. 1.(u) *de augment. scient.* l. 2. praef. p. m. 32. 88.(y) *Institut. Christ. Relig.* l. 1. c. 15. §. 7.

plures offerantur res aequae possibiles, ex quibus vna ceteris praeferenda, ex iis nos sponte nostra aliquam, quae prae reliquis arrideat, posse eligere; quod cum dicatur *libere agere*, satis perspicuum esse, autumo, ad voluntatem pertinere libertatem. Sponte ac deliberato consilio agens nequit dici coactus, aut necessario agere: in iis enim quae fiunt necessario, nullus deliberationi relictus est locus.

S. Sed & sponte nos agere dixisti, non coactos. G. Ad conscientiam tuam lubet prouocare, Sophocrates: incitatusne es ad me modo monendum a re quadam externa, an a principio mentis interno? S. Sane interno (z). G. Viden, quid concederis? S. Sentio, me tecum sentire, neque repugnabo amplius, si duos animo meo exemeris, qui me male habent, serupulos. G. Quosnam illos?

§. XVIII.

S. Si voluntati libertas est essentialis, eecur saepe aliquid volumus, quod nollemus? quidni contra possumus vellemus, quod vellemus? G. Voluntas distinguenda est ab actu volendi, quem barbaro verbo solent volitionem appellare (§. 18.): volitiones quidem omnes in nostra potestate non sunt: tamen possumus illas, si non omnes, multas certe, multo studio in eam redigere, vti recte obseruauit perspicacissimus *Leibnitius* (a), atque experientia, magistra quae merito dicitur optima, docet homines attentos. Cedo alterum dubium.

§. XX.

(z) Igitur libertas voluntati est naturalis neque videtur necessarium, ab hac illam distinguere vti CLERICVS *Pneumat. sect. 1. c. 3. §. 11.* Praeterea, cum voluntati aliquod in intellectum temperat imperium v. gr. eius attentionem ad hanc, vel illam rem considerandam dirigendi, haud existimo, libertatem con-

stituendam peculiarem animi facultatem a voluntate diuersam. Si cui haec obscuriora videantur, is conferat cum his CL. HOLLMANNI *Pneumat. §. 72. primae editionis.*

(a) Vide eius iudicium de HOBESIO §§. 5. 6. insertum a CL. ENGELHARDO *Feris Groninganis t. 1. sect. 1. p. 229. 233.*

§. XX.

S. Sunt, qui fato humana cuncta subiicientes ita garrunt, homines non agere, quia volunt, sed velle. quoniam ita operantur (b). G. Mirum, omnes, qui historiam Ecclesiasticam & Philosophicam norunt, ita existiment: non omnibus eandem ita sentiendi, ita loquendi fuisse rationem: sed alios ignorantia, aut inconsiderantia lapsos; alios longe aliis de causis eundem errasse errorem. Mittamus reliquos. Solos consideremus Stoicos & Θεομαχους. Eorum huius sententiae περὶ τὸν ψεύδος est persuasio de immutabili rerum omnium nexu. S. Est sane. G. At ista rerum connexio absolute necessaria cum rationi sit contraria (§. 14.), vti contra *Spinosam*, & quos vocant, *Fatalistas* a *Thummigio* (c) dilucide est, demonstratum: evidens est, eosdem stultissime experientiae & rationi refragari, negantes, se, quae agunt, libere suscipere. S. Veritati cedendum est, quod ego nunquam duxi inglorium: itaque nihil mihi quidem videtur obflare, quo minus hoc argumentum concludas.

§. XXI.

G. Cum spiritus non minus sit voluntate praeditus, quam intellectu (§. 15.), ad eiusque essentiam voluntas spectet (§. 17.) huic autem libertas sit essentialis (§. 18.): praeterea essentialia, suis quaeque rebus, sint constantia (§. 10.): luce meridiana clarius est, sine libertate non posse concipi spiritum (d). Hoc illud est, quod me volebas demonstrare.

§. XXII.

Simili modo liquet, si in memoriam ante (§. 11.) dicta reuocentur, spirituum liberorum essentias ab omni aeternitate intellectui diuino fuisse obuersatas (§. 21.)

§. XXIII.

(b) Vide, quae respondit Cl. 's.

GRAVESANDE *introducēt. ad*

Philosoph. §. 144. 146. seqq.

(c) *Institut. Cosmolog. gen.* §. 22. 23.

(d) Argumenta, quae vocant, mortalita, quibus libertas spirituum

folet probari, sunt notissima. THOMAS AQUINAS 1, 3. contra gentiles c. 73. *Opp. tom. 9. fol. 319. col. 2. B. edit. Anru. 1612. L'Esprit. de Mr. ARNAVD part. 1. page 94. & alii.*

§. XXIII.

Porro, cum intellectus diuinus res non mutet, sed eas intueatur, quales esse possunt, id est, quales habent essentias (§§. 12. 13.), libertas spirituum diuino intellectu non fuit immutata (§. 21.). S. Cogitationibus res non mutantur.

§. XXIII.

G. Plures res sunt possibiles, quam actu existunt, seu quas actuales vocare sumus soliti.

§. XXV.

Res possibiles, cum inter eas concipiatur certa relatio, & nexus Metaphylicus, possunt in certas classes, aut ordines digeri.

§. XXVI.

Quicquid fieri potest, id Deus ab aeterno cognouit perfectissime (§. 13.): ergo & illos rerum ordines (§. 25.).

§. XXVII.

Vocabulum mundi, sensu laxiori & Philosophico si adhibeatur, denotat certam rerum possibilium seriem, quarum aliae ex aliis nexae, & omnes inter se aptae colligataeque obseruantur: eaque significatione hac voce deinceps utar.

§. XXVIII.

Plures mundi sunt possibiles (§§. 24. 25. 27.), iique obiectum intellectus diuini ab aeterno fuerunt (§. 26.).

S. Distincte explicas, quid per *scientiam Dei*, quae a Theologis vocatur *simplicis intelligentiae*, a quibusdam *Theoretica*, intelligas. Digna est, quam audias, *Zach. Vrsini* (e) *Theologi mire eruditi, sententia; Ecclesia, inquit, ex verbo Dei docet, multa & nunc facere, & ab*
H aeter-

(e) *Oper. Theol. t. 1. p. 602. B.*

aeterno decernere potuisse Deum, quae nec facit, nec decrevit. (f)

G. Hac hieme Alf. Antonii de Sarasa, hominis subtili ingenio, limatoque iudicio, *Artem semper Gaudendi* a Cl. Fischeri, cuius doctrinae atque industriae orbis eruditus multum debet, hoc anno Tenae editam magna animi voluptate legi: is ita differit (g): *infinitam infinitarum rerum possibilium scientiam Deo inesse, Deoque competere, perfectus ut sit Deus, id quidem manifesto liquet Dei naturam penitus consideranti: nam si alias creaturas non cognoscat, praeter eas, quas jam condidit, condetque in hoc, qui voluitur, rerum ordine, id quidem fateri necesse est, exhaustam esse hac ratione potentiam, nihilque plane creare posse, quam id, quod adhuc est creaturus, igitur absoluta, verbi gratia, hominum adhuc creandorum serie, quae quidem ante iudicii diem certo certius absoluetur, exhausta erit in Deo, homines creandi potentia. Nemo enim efficere id potest, quod nescit. --- Quid est ideam mente circumferre (intueri), quam rem ut possibilem cognoscere, cuius ea est idea? Quod si igitur Deus, praeter hos, quos creaturus est, nullum alium hominem cognoscat possibilem, creaturam possibilem nullam; id sane consequens est, nullum, praeter illos creare posse hominem, creaturam nullam.*
Quod

(f) Cum haec ad amissim conveniunt, quae apud Cl. PUNGELERUM diff. de ideis rerum possibilium in Deo p. 12. 24. seqq. legimus. Ceterum, mundos numero infinitos esse posibles, qui cogitat, eosque omnes, & omnes eorum partes, etiam minimas, earumque naturam, actiones, relationesque omnes, siue posibles mere, siue actuales, seu quocumque modo confiderentur, Deum semper adaequate unico & immutabili actu cognoscere; nae ille de intellectu divino cogitare nequit, quin ob-

stupefeat, quin exclamet:

Vah! qualis ille est spiritus,
Cui nota sunt, quaecumque
sunt.

Quaeque esse possunt, omnia.
In singulis qui perspicit,
Quaecumque sunt in singulis
Et singulorum singulis!

Is non existimabit, doctrina de essentiarum mutabilitate opus esse ad divinum intellectum sibi augustiorem repraesentandum (supr. §§. 12. 13.)

(g) *Tractatu quarto §. 27. p. 53. 54.* Est autem ea demonstratio apogogica.

Quod si verum est, iam certe per hanc seriem tam hominum, quam (aliarum) creaturarum adhuc creandarum, exhaurienda est divina potentia. At vero cum haec series futurarum rerum finienda sit, etiam Dei potentiam finire necesse est. Non igitur Dei potentia est infinita: -- quod quam sit absurdum dicere, nemo non videt. Aut igitur negandus Deus, aut hanc scientiam ei prorsus competere statuendum est. S. Acute?

G. Plures a Deo concipi rerum series possibiles, videtur legitime ex historia Ionae ad Niniuitas missi (b) posse concludi. S. Immo ex verbis sanctissimi nostri Servatoris (i) Sed quid notissimis immoramur longius?

§. XXVIII.

G. Spiritus corporibus iuncti mundum, seu potius aliquam eius partem pro situ sui corporis sibi repraesentant; quod verum esse, partim ex communi omnium consensu, partim ex veracitate supremi & benignissimi Numinis, demonstratur.

§. XXX.

Spiritus ergo corporibus iuncti ad mundum relationem habent (§. 29.)

§. XXXI.

Proinde diuersi mundi diuersos spiritus, ad producendas rerum, quas materiales nuncupant, atque inde pendentium perceptiones, postulant (§. 30.): id est, si in alia rerum serie spiritus corporibus iuncti considerentur a Deo conditi, aliae eorum forent sensationes, aliae voluntatis inclinationes (§§. 25. 29.) Hoc rationi, quoad ei imaginatio & fingendi facultas non obstrepunt, maxime consentaneum cognoscimus.

H 2

§. XXXII.

(b) *Ionae c. 3.*

(i) *Matth. c. 26. §§. 53. 54. Id*

iam observavit VRSINVS Opp. Theol. t. 1. 601. B. Adde Lucae c. 10. §. 13.



§. XXXII.

Quod igitur mundi possunt concipi, totidem quoque sunt spirituum classes possibiles (§§. 25. 31.): qui tamen spiritus omnes intellectu sint praediti & libera voluntate (§§. 15. 21.)

§. XXXIII.

Vt aliquis mundus, qui antea mere possibilis fuit, actu existat, requiritur efficax entis potentissimi voluntas; nam, ex nihilo nihil sine auctore, seu causa, posse produci, vera est sententia, cui nemo unquam sanus refragatus est: neque minus verum est illud rationis decretum, ad rem e nihilo, (i. e. cuius materies antea non extitit) creandam, potentiam postulari infinitam.

§. XXXIII.

Haud dissimili ratione liquet, ad existentiam rerum contingentium requiri voluntatis diuinae de rebus libere condendis determinationem, seu *decretum*, quod nos docet ratio esse aeternum (*k*), quodque a Theologis nostris, quoniam summa ei veluti praeluxit sapientia, *consilium* solet vocari.

§. XXXV.

Mundus, qui existit, siue eius materiam, siue illam vna cum forma consideres, cum sit res contingens (*l*), neutiquam necessaria (§§. 14. 20), a Deo est factus (§. 33.): Deus vero ante, quam hunc mundum extra se crearet, illum se producturum, decreuit (§. 34.)

EO

(*k*) Quia cogitari nequit Deus spiritus perfectissimus, nisi omnium furororum certissimus.

(*l*) Plurimos, qui hoc argumentum tractarunt, ne oporteat no-

minare, ad Cl. CANZII librum Lectorem allegamus, de *Vsu Philosophiae Leibnitianae & Wolfianae in Theologia t. 1. c. 3. 4. §. 1. usque ad §. 10.*

Eo decreto fundatur vnice, quam infulse admodum (m) negant Sociniani, diuina praescientia, seu praenotio, nihil illis, quae ventura sunt, necessitatis importans, vt apud Boëthium ait Philosophia (n). Decreto Dei factum est, vt huius mundi res non tantum possibiles cognoscantur, sed etiam certo futurae, hinc Deo a Theologis scientia visionis, qua futura, tamquam praesentia, videat, tribuitur, ab aliis Practica adpellata.

S. Boëthius praescientiam Dei rebus futuris nihil necessitatis dixit afferre; at vero philosophos saepe audimus dicentes, res huius mundi non metaphysice, sed physice, sed hypothetice (ἐξ ὑποθέσεως) esse necessarias.

§. XXXVI.

G. Recte sentiunt: necesse enim est fieri, quod Deus decreuit; sed non erat necessarium, Deum ita decernere: libere, immo liberrime decreuit (Conf. §. 18. cum §pho 28.) Hinc iidem illi Philosophi per necessitatem physicam nihil intelligunt aliud, quam rerum ad hunc mundum spectantium certitudinem, cuius sufficiens ratio est diuinum decretum (o). Vulgo necessitas consequentiae nuncupatur.

S. Probe.

§. XXXVII.

G. Deus non potest velle (id est, nihil vult), nisi quod fieri posse intelligit (p), neque facere, nisi quod vult.

H 3

§. XXXVIII.

(m) confiteri esse Deum, & negare praescitum futurorum aperissima insania est. AVGVST. l. 5. de Civ. Dei c. 9. Nihil tam a recta ratione alienum excogitari potest, quam Deum fingere, qui hodie discit illud, quod heri ignorauit. Cl. 's GRAVE-SANDE Metaph. §. 160. Que peut-on dire de plus monstrueux, que d'admettre un Dieu qui ne connoisse les actions des

hommes qu'à mesure, qu'elles se font? dit Mr. BAYLE dans le Dictionnaire l'art. Carneade L. Vo. aussi la remarque F. de l'art. icz Pauliciens p. 2207.

(n) libr. 5. de Consol. Phil. prosa 4.

(o) Cl. Thummigius dissertatione de genuina & completa necessarii & contingentis notione §. 19. & passim alii.

(p) Cl. de VRIES Disq. de Contradict. Deo poss. §. 15. Fixum

§. XXXVIII.

Proinde mundum quemdam eligendo, aut faciendo, essentias rerum non mutat (§§. 12. 13. 37.).

§. XXXVIII.

Igitur decreto Dei essentiae rerum non mutantur (§§. 34. 38.): ergo nec spirituum (§. 14.)

§. XL.

Mens nostra, cum non modo res intelligat, sed earum quoque alias appetat, auerſetur alias, iure meritoque in spirituum refertur numerum (§. 15.)

§. XLI.

Mens humana est spiritus (§. 40.): Spiritus omnis intellectu est praeditus & voluntate (§. 15.): voluntati libertas est essentialis (§. 18.): manifestum itaque est, libertatem menti humanae esse essentialem.

§. XLII.

Quicquid rebus est essentialia, illud essentiam earum constituit (§. 10.), atque adeo summi Numinis decreto non mutatur (§. 39.): ergo nec mentis humanae libertas decreto diuino fuit sublata (§. 41.).

§. XLIII.

Sed diuina voluntas effecit, vt mentes nostrae, quae intellectui perfectissimo obuersabantur mere possibiles, existerent, & libertate sua possent uti, id est, aliquid velle, aut nolle pro circumstantiis huius mundi, ad quem *σχέσις* habent (§. 30.). Tantum ergo abest, vt decretum Dei libertati nostrae quid deroget (*q*), vt potius eius actualitatis ratio sit & origo (§. 35.).

§. XLIIII.

S. Vereor, ne tibi eueniat, quod vulgo multis vsu venire videas; ne, Charybdi vitando, in Scyllam incidas.

C. Scyl-

manet, nihil Deum velle, nihil velle posse, quam quod intelligat.

(*q*) AVGVSTIN. l. 5. de ciu. Dei

c. 9. BOETHIVS de conf. Phil.
l. 5. profa vltima: Diuina praenotio naturam rerum proprietatemque non mutat. cet.

C. Scyllam! quamnam illam? S. Libertati humanae dum patrocinaris, caue, ne diuinae imprudens quid deroges. G. Video, quo tendas: grata mihi tua est sollicitudo in rebus maximi momenti: grata tua admonitio: sed id miror, te non animaduertisse, nos inter breuia & Syrtes sine periculo, sine aberratione, sine allisione, ad latentes cautes, in optatum portum peruenisse (§§. 36. 42.). Libertatem, quam antea generaliter spiritibus (§. 21.), deinde speciatim hominum mentibus conuenire (§. 41.), diximus, eamne Deo, spirituum omnium conditori, denegemus? immo tanto maior ea Deo est tribuenda, quanto is omnibus spiritibus finitis, a se creatis, est perfectior, quanto omnibus rebus excellentior. & quanto magis a rebus, ad quas mentes nostrae *σχεῖν* quamdam habent (§. 43.), est diuersus, est seiunctus

S. At, rerum essentiae si immutabiles sunt, necessario hunc mundum talem, qualis est, condidit. G. Necessarium quid vocas? S. Sicuti tu antea (§. 11.), cuius contrarium est impossibile (r).

G. Sed plures, immo infiniti mundi fuerunt possibiles, idque ex *Vrsino* Catecheta me ipse docuisti (§. 28.): ergo hic mundus nequit dici necessarius; quod autem hunc mundum Deus se facturum decreuerit, id fecit liberrime: nam omnes ei erant aequae possibiles (§. 28.): nullus, quid nullus? nihil erat extra Deum, quod eum ad hunc eligendum mouerit: ergo proprio, vt ita loquar, motu eum elegit, & libere (§. 18.). Rem cognitu dignissimam, mihi liceat, simili quodam illustrare. Rationibus Meuius inductus voluntatem ad triangulum semicirculo inscribendum determinat, eique inscribit omnium maximum, id est, aequicrurum vertice peripheriam tangentem; cuius vtrumque crus quadrantem circuli, hypotenusam vero semicirculum subtendit (s):

vt

(r) Conf. supra not. ad §. 14.
(s) Quam altitudines triangulorum semicirculo inscribendorum repraesententur sinibus;

omnium autem sinuum maximus sit circuli radius, facillime, intelligitur, si diameter sit = a, eum fore triangulorum qui eadem

vt maneat triangulorum eidem semicirculo inscribendorum maximus, nihil quidquam potest immutari: id essentia eius non permittit (§. 2.): equis autem, Meuium necessario id egisse, somniet? nam (1.) poterat triangulo scribendo abstinere: (2.) poterat triangulum delineare curvilineum, aut mixtilineum, aut rectilineum quidem, sed nulla circuli dimidiati habita ratione: (3.) poterat illum intra semicirculum describere, nullis angulis peripheriam attingentibus: sic libera angulorum & linearum determinatio, dummodo eae extra circulum non promineant, est penes Meuium: (4.) poterat triangulum intra hemicyclium scribere, cuius perimetrum aut vnus, aut duo, aut tres anguli attingerent, & duobus prioribus casibus angulorum quantitas ab eius pendet arbitrio: (5.) quodsi vero ducturus sit *τετράγωνον*, cuius maximo angulo diameter circuli subtendatur, reliqua vero duo latera sint chordae arcuum semicirculi, necessario scribendus est rectangulus, sed anguli acuti, id est duo reliqui, arbitrio eius determinantur. Denique (6.) inscribere semicirculo potest triangulum rectangulum aequicrurum, seu cuius area est dimidia pars quadrati toti illi circulo inscribendi (t).

Hoc *τετράγωνον* cum Meuius describat, equis, nisi Metaphysicae ignarissimus, cum necessario id fecisse, sustinebit affirmare? Deus itaque pro infinita sua sapientia & bonitate, se hunc mundum, haec corpora, hos spiritus creaturum, decreuit liberrime: tales vero spiritus creare voluit, qualis eorum erat essentia, vt libertate sua vtentes adpetant, quae bona & profutura; quae vero nocitura videantur, declinent.

§. XLV.

S. At vero ab aeterno Deum, dixisti (§. 34.), se hunc mundum creaturum, decreuisse. G. Dixi. S. Quod vero aeter-

dem semicirculo possunt inscribi, maximum, cuius area erit $\frac{1}{2}$ aa.

(t) Facili inde negotio, ope Problematis *Pythagorici*, eruitur,

quadratum circulo circumscriptum esse altero tanto maius quadrato eidem peripheriae inscripto, seu hoc esse ad illud in ratione subdupla.

aeternum, illud est necessarium: proinde decretum Dei de hoc mundo condendo, immo ipse hic mundus est necessarius. G. Hoc argumentum me quidem non ferit: tamen, quia solutu est facillimum, ad tuam respondebo obiectionem. S. Iucundum mihi feceris. G. Qua, obsecro te, probas ratione, quod aeternum est, esse necessarium? S. Ipse antea (§. 9.) essentiarum aeternitatem demonstrans propositione usus es, *omne necessarium est aeternum*, cuius conuersa est, *omne aeternum est necessarium*. G. Non recte rem accipis. Propositio illa non *simpliciter*, sed *per accidens* conuertenda: *quoddam aeternum est necessarium*. Etenim ex notione aeternitatis non potest intelligi, rem esse necessariam, cui aeternitas tribuitur: necessitas enim rerum longe alio, quam aeternitas, nititur fundamento, quod antiquissimis etiam Graecorum Philosophis videtur fuisse perspectum. Necessarium est, cuius oppositum distincte cognoscimus esse *αδύνατον* vnde facile concludimus, illud necessario esse aeternum. Sed potest quam maxime aliquid esse aeternum, quod non est necessarium. Deus est ens necessarium & aeternum: eius intellectus, utpote perfectissimus, cognouit plurimos mundos possibiles (§. 28): ex multis possibilibus non-existentibus ut aliquid constituatur futurum, requiritur voluntatis determinatio (§. 34.), quae in Deo non erat necessaria, quia alii mundi possibiles (§. 44.): ex iis vero Deus vnum elegit (§. 35.). Vides, neque hoc decretum, neque hunc mundum esse necessarium. Sed tamen Deus ab omni aeternitate cognouit certissime, hunc mundum futurum. Vides, decretum Dei esse aeternum. Vides, aliquid posse esse aeternum, quod non sit necessarium. S. Verissima esse quae dixisti, quamdiu rationem, actum Dei intelligentis & decernentis esse simplicissimum, docentem auscultamus, clarissime intelligimus. G. Igitur vtrumque verum est, & libertatem humanae mentis diuino decreto non fuisse mutatam (§. 42.), & Deum liberrime hunc mundum elegisse, & creasse (§. 44.).



§. XLVI.

Pauca, non quidem pro materiae dignitate, sed pro ingenioli modulo his liceat addere.

1. Deus res praenoscit, quae euenturae sunt, omnes, quia causarum nexum, ordinem, naturam et rationes nouit exactissime: nouit autem, quia decreuit (§. 35.). Vana igitur & falsa est Philosophi *Malmesburiensis* (u) criminatio: nisi voluntas Dei necessitatem voluntati humanae imponeret, & per consequens actionibus omnibus ab ea dependentibus, libertas voluntatis humanae omnipotentiam, & omniscientiam, & libertatem Dei tolleret. Falleris, *Hobbesi*, falleris: haec tibi dicendi non fuisset sufficiens ratio, saniozem si coluisses *Metaphysicam* Mundus, qui nunc existit, est contingens; quaecumque in eo fiunt, sunt contingentia (§§. 14. 28. 35. 44.) sed tamen inter se connexa, neque quidquam casu accidit, aut fortuito; sed omnium est certa ratio, quam Deus omnisciens praesensit. Ne *Apollinem* quidem, iam antiquis existimauit temporibus *Carneades* (x), futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. Sed addo verba *Zach. Vrsini* (y): necessitas contingentiae nequaquam tollit contingenciam (Conf. supra §. 36.)

2. Ea

(u) *Leuiat. c. 21. Opp. Hobb. t. 2. p. 105.* Versionis Belgicae *Leuiathani* p. 216. Nescio num quisquam subtilius & occultius doctrinae de praescientia diuina, si liberae existimentur hominum actiones, insidias struxerit, atque fictor apologi, qui fabulis, quae vulgo tribuuntur *Aesopo*, *Christiani* cuiusdam, forsitan *Platonicis*, stilo conscriptae, accensetur. Homo nempe malignus *Apollinem Delphicum* rogat, viuusne sit passerulus, quem manu tenebat, an mortuus? mortuum responsuro ostensus viuum, aut viuere illum affirma-

turo *Apollini* mortuum monstraturus: cui *Phoebus* fingitur respondisse, vitae necisque auiculae hominem istum esse arbitrum. Lector beueuolus ad ea, quae in contextu proposui, animum attentat, & cogitet, esse casum ut vocant, non dabilem,

(x) *CICERO* de fato c. 14. Conf. *Cl. WERENFELSII* diff. de libertate hominis ad imputationem actionis requisita extr. *Opp. t. 2. p. 313. edit. Laus. & Gen. 1739.*

(y) *Art. de Dei prouidentia. Opp. VRSINI t. 1. p. 602. B.*

2. Ea futurorum praenotio nulli Deum subiicit fato, sed eius immutabilitatis & aliarum perfectionum est documentum. Deus ipse, ea futura esse, decreuit (§. 35.), & quod decreuit, ratum vult esse & constans, quia sapientissime decreuit (§. 34.), atque ipse est immutabilis (§. 13.). Audiamus denuo *Vrsinum* (z), *necessaria sunt, inquam, quae Deus decreuit, ut fiant, propter immutabilitatem decreti diuini, quod tamen Deus liberrime fecit, id est, ab aeterno vel non decernere, vel aliter decernere poterat* (Conf. supr. §. 44.).

3. Diuina praescientia nullam creatis rebus vim infert (a): nam, nisi edatur miraculum, res omnes naturali modo operantur (§. 16.): spirituum, igitur licet fingas actionem omnium, quae fieri possunt, liberrimam, attamen, si statuas, eam certo aliquando euenturam esse, id simul confitearis necesse est, ex omni eam aeternitate futuram fuisse (b): quodsi mentem meam id, quod nunc cogitat, cogitaturam hoc tempore, ab aeterno fuerit certum (nam incertum esse non potuit) quid inde mese derogatur libertati, si Deus id praesciuit?

4. Nemo, tamen si nulla consequi potest bona, praeter ea, quae Deus ei obuentura decreuit, iure de sua queri potest

I 2 natura

(z) *Operum Theol.* t. I. p. 601. B.

(a) Qui ex Metaphysicis ea dedit, quae (hic & num. 1.) non explico, sed ad quae digito intendo, is nodum quem cum alii, tum Acutissimus & Eruditissimus P. BAYLIUS (dans *Dictionnaire Historique & Critique Part. Iansenius*, rem. G. p. 1531.) nectunt, valebit soluere.

Adam, dit Monsieur BAYLE, a-t-il péché librement? Si vous répondez, qu'oui; donc, vous dirait-on, sa chute n'a pas été prévue: si vous répondez, que non; donc, vous dirait-on, il n'est point coupable Cum

omnium volitionum Adami fuerit ratio mouens, quae praesciri potuit, quidni primus affirmemus? Si statuas, maxime BAYLI, posse actiones esse quarum nulla sunt motiua, credendum tibi erit, nihil determinare voluntatem. Cl. 's GRAVESANDE *Introd. ad Philosoph.* a §. 161. usque ad 173.

(b) Verba sunt Rad. CUDWORTHII Theol. in Academia Cantabrigiensi Professoris, dum videret, eruditissimi *Syst. Intellect.* p. 873. Adde GASSENDVM de *Morali Philosophia Epicuri* p. 1635.

natura (c): nam quicquid boni potest inesse menti, illud eidem *potentia* inest: vt & *actu* inest, summa ope ipsi nitendum est: quod si nullam legis diuinæ præceptis suas actiones, quantum potuit, conformandi occasionem prætermiserit, se tamen longissime ab optata meta abesse, & perentificat, & doleat, stimulos sibi intelligit subdi ad alacrius in scientiarum & virtutis stadio decurrendum (d). Si quis, animum necdum sua contentum sorte, cognoscat, is sic cogiter: Deus talem meam creauit mentem, qualis illa esse potuit, finitam: nihil est, quod Deum accusẽm: nihil, quod de eo querar: essentiam meae mentis, vtpote substantiæ finitæ ad exercitium facultatum intelligendi & volendi certo & peculiari modo determinatæ (e), non finxit, sed in perfectissimo suo intellectu inuenit (§§. 11. 12.): qualem meam essentiam cognouit, talem me fecit (§§. 37. 38.). Alius esse (*potentia*, seu, vt alii loquuntur, *virtute*) cupiam? vana non modo spes, sed vanissima cogitatio: si perfectiorem me (scil. *potentia*) creasset, non essem ille ego; non idem; non, qui nunc hæc cogito: sed alius essem dicam, an esset (§. 2.)? ego vero nusquam fuisset; numquam ego extitisset: sed malo existere, quam non existere: lapis enim sim, aut caudex, aut stipes, aut plumbeus, nisi mihi, quoad ex rationis & religionis præcepto vitam insituo, plura accidere bona, quam mala, sentiam; ingratisimus, nisi ob ea, quibus me ornat, beneficia Deo sim deuinctus, impius, si cogitem: scelestus, si dicam, Deum mihi pauciora, quam perfectionibus eius fuerit conueniens, siue animæ, siue corporis, seu fortunæ bona fuisse largitum.

Sed

(c) SALLVSTIVS belli Iugurth.
c. 1. Falso queritur de natura
sua genus humanum, quod forte
potius, quam virtute, regatur;
nam contra reputando, neque
maius aliud, neque præstabilius
inuenias, NB. magisque
naturæ industriam. homi-

num, quam vim, aut tempus
deesse: quæ sequuntur lectu non
sunt indigna.

(d) Opportunam sic quoque
nancissimur de Seruatore cogitandi
occasionem.

(e) De essentiis indiuiduorum hic
loquor.

Sed mentem aliquantisper in huius rei consideratione libet desigere. Infiniti finitarum rerum perfectionis possibiles sunt gradus, quorum infimum si statuamus existentiam, quaelibet res *distabit a nihilo tot gradibus (Kingii (f), Theologi eximii, verba audis) quot perfectiones simul cum esse (seu existentia) in eo inveniuntur: in scala hac nihil inum occupabit* (nulla enim res, quin aliquid perfectionis, praeter 7^o esse, ei insit, existit); & quo magis aliquid distat a nihilo, eo magis perfectum est. Cum vero finiti sumus, neque perfectiones nostrae infinitae esse possint, sed necessario limitatae, ita tamen limitatae, vt augeri queant, de remediis nostras perfectiones, quarum natura avidissimi sumus, augendi cogitandum est serio, & quantum a nihilo absumus perpendendum. Altera meditatio ad virtutem excolendam, altera ad diuini Numinis erga nos bonitatem considerandam animos nostros excitabit. At alii, inquires, longe pluribus & maioribus bonis a natura sunt instructi: maius ingenii iis & subtilius tributum est acumen, iudicium acrius & solidius, memoria tenacior, maior & promptior in augustum Veritatis templum & scientiarum adyta penetrandi facultas: quanta vero, quanta multi meorum aequalium, quibus ego non fui negligentior, neque forsitan improbior, mihi antecellunt plurimum rerum cognitione: quanto illi facilius sua negotia perficiunt & rectius! Esto. Sed & multa iis obtingere vides, multa iis, te nesciente, obtingunt, quae sane tibi nolles accidere. Aestimanda tibi est non ex partibus aliquibus felicitas: sed bona omnia collecta pensanda sunt. Illi quoque, qui te imperfectiores sunt, intuendi. Nolo, quae de essentia modo (*) sunt dicta, repetere. Sed iam illud vide: illud cogita: nonne tenuitatis conscientiam animis modestiam ingenerare; attentionem, diligentiam, vigilantiam, assiduitatem excitare; prouidentiam & cautionem acuere intelligis? nonne hoc modo, dum, quicquid boni hominibus inesse cognoscimus, per integrum genus humanum ita dispersum est, vt alius aliorum indigeat auxilio, societatem hominum arctius inter

I 3

se co.

(f) *libr. de origine mali c. 3. §. 3. (*) pagg. 84. 85.*

le copulari sentis? nonne, maiorem societatis totius, quam hominis vniuersi rationem fuisse habendam, animaduertis? Enimvero bonum totius, vt Thomas Aquinas ait (g), *praeminet bono partis: ad prudentem igitur gubernatorem pertinet, negligere aliquem defectum bonitatis in parte, vt fiat augmentum bonitatis in toto.* Respiciamus autem, quoad longissime possumus, temporis praeteriti spacium, & vitae auteactae memoriam recordemur, plura nobis bona, quam mala, accidisse, intelligemus. Plerosque omnes idem, licet ipsi ita se sentire vix cognoscant, iudicare ex eorum actionibus colligas. Quid enim? *saluti suae student, id minime facuri, si non vitam suam cum omnibus malis annexis potiore duxerint, aut sentirent, quam id non esse (h).* Humano igitur genere iudice, *vita, qualis qualis est, pro beneficio habenda est (i).* Quid ergo dicemus, nisi errare illos, qui aut mortem appetunt tamquam bonum, aut vitam fugiunt, tamquam malum? nisi quod sunt iniquissimi, qui pauciora mala non pensant bonis pluribus? Nam cum omnem vitam per exquisitas, & varias traducant voluptates, mori cupiunt, si quid forte his amaritudinis superuenierit: & sic habent, tamquam illis numquam fuerit bene, si aliquando fuerit male (k). Quanto satius est, id agere sedulo, nostra voluntas diuinae vt sit perpetuo pedissequa, quam in anibus nihilque profuturis querelis tempus perdere, & felicitatem nostram amplificandi amittere occasione, & calamitatem, aut miseriam, aut imperfectionem augere?

5. Eorum, quae quis male egerit, culpam in Deum, quem sanctissimum & benignissimum esse nouimus, nemo sanus, nisi cum ratione, vt vulgo dicitur, insaniat, potest transferre: nam neque decretum diuinum, neque praescientia quemquam ad prauum perpetrandum aut cogit, aut impellit, aut incitat, aut adducit, aut allicit: suarum actionum mens ipsa

(g) *libr. 3. contra Gentiles c. 71.* (i) *Idem ibid. c. 4. sect. 8. §. 8. med.*

(h) *KINGIVS de origine mali c. 2. §. 7.* (k) *LACTANT. Diuin. Instit. l. 3. c. 19. §§. 11. & 12.*

ipſa eſt cauſſa (§§ 16. 40.): leges autem & bene beateque viuendi regulae eidem naturales ſunt, & inſitae, & quaſi inſcriptae, aut facile ab ea addiſci poſſunt: bene agendi facultas a Deo non eſt erepta. In noſtram igitur doctrinam non poteſt ſtringi falſa illa *Luciani* (l) irriſio, qua ille Stoicorum fatum illuſurus *Minoem*, inferorum iudicem, a *Soſtrato*, latrone, inducit conuictum, hominum facinoroſorum poenas iniuſte legibus conſtitutas, quod, quaecumque fecerint, a Parca ſint agglomerata. Quanto ſapientius & melius apud A. *Gellium* (m) *Chryſippus*, Stoicae princeps Philoſophiae negat, oportere ferri, audirique homines aut nequam, aut ignauos, & nocentes, & audaces: qui cum in culpa & in maleſicio reuicti ſunt, perſugiunt ad fati neceſſitatem, tamquam in aliquod ſani aſylum: & quae peſſime fecerunt, ea non ſuae temeritati, ſed fato eſſe attribuenda dicunt.

§. XLVII.

VI At vero C. *Cotta* Academicus (n) rationi coniunctam libertatem ait magna cum pernecie nobis a Deo datam. Quid ais, *Cotta*? vigilasne, an ſomnias? ſi vigilas, vtere ratione. Neſcis ea vtī? Quid impedit, quo minus diſcas? At enim, quemadmodum ratione a paucis & raro recte fieri, ſic ratione a pluribus & ſaepe peccari, exiſtimas. Caue, ne cuiquam, dum de ratione diſputas, videaris infanire. Quotiescumque peccas, contra rationem agis. Rationem dum ſequeris ducem, ſemper bene agis, & iuſte, & honeſte. Sed opinionem omnem, ais, rationem eſſe: de vocabulis, non erit operae pretium, tecum contendere: cedo autem, qui illam mentis facultatem appellabis, qua veritates apte inter ſe connexas perſpicimus? *Cicero* ſat ſcio, rationem nuncuparet (o). Sed rationem nobis datam, argutare, quae vitia culpamque, atque adeo errores, non excludat! Meminiſtine, *Cotta*, te hominem factum: Deum te creati non potuiſſe? Nondum intelligis?

(l) *Operum* t. 3. p. 77. ſeqq. edit. (n) *CICERO* l. 3. de *Nat. Deorum*. capp. 27. 28. 31.
 (m) *Noſt. Att.* l. 6. c. 2. (o) *CICERO* l. 1. de *off.* c. 4.

gis? addisce igitur ex Metaphysicis, quae inter finitum & infinitum intercedit, differentiam, & rerum finitarum naturam! Ineptis, *Cotta*, & multi tecum, immo omnes isti, qui *vix sibi temperant, quin eo usque impudentiae prouehantur, ut naturam oderint, quod infra Deum sumus, quod non ex aequo illi sterimus (p)*.

§. XLVIII.

At at! quid ego nouum *Cottam*, Academico *Cotta* & acutiorem & doctiorem multo, sed & multo versutiorem video machinantem? Siccine, magne B. . . ., recoctam cramben Francico sale aspergis? Siccine mellitis verborum globulis imprudentium auribus mentibusque insidiaris! S. Tuam fidem, Germane! ut micant eius tela ex liberioris ingenii armamentario deprompta: vereor, ne felle sint tincta, aut sanguine Lycambeo. Vaferrimus ut arridet! Tum eum praecipue timendum audiui, tum obseruandum maxime, cum tecum videatur sentire atque haereticos oppugnare. G. Ni adeo comptus, adeo vrbanus, adeo bellus esset, ex Scytharum eum crederem ortum profapia, quorum legatum *Alexandro M.* dicentem inducit *Curtius (q)*: cum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris: eadem velocitate & sequimur & fugimus. S. St! propius accedit. Audin' tu illum? G. Ego vero. S. Quid ait? G. Hem audaciam! Siccine, Vir eruditissime, libertatem dicis diuinitus homini, veluti nouaculam a parente infanti, tributam, qua certum sit eum sibimet ipsi nociturum?

Parcius ista Deo tamen obiicienda memento!

Adeone rem rediisse, ut, qui humano generi consultum esse optime voluerit, Deum criminere! Itane tandem, Vir plerisque omnibus artibus & doctrinis ornatissime, doctrinam de rerum essentia, de sapientia & bonitate Dei ignoras! Num forte metuis, ne liberrima tua differendi libertas, & licentior illa tua clarissima etiam rationis decreta impugnandi licen-

(p) SENECA l. 2. de benef. (q) l. 7. de rebus gestis Alex.
c. 29. M. c. 8. §. 23.

licentia tibi praecidatur, nisi libertate nostros animos or-
 batos & spoliatos, ne ea abutantur, optares? locari me, au-
 tumas? sed iam serio tecum agam. Cedo, homo doctissime,
 quae Pythia tibi praedixit, te libertate tua semper abuturum,
 eamque rationi, si tu cupias, si tu enitaris, non obtempera-
 turam. Profecto, si tantum operae, tantum acuminis, tan-
 tum laboris ad excolendam Philosophiam Rationalem, &
 connectendas inter se veritates Metaphysicas contulisses; si
 tantum studii, tantum diligentiae, tantum temporis in appe-
 titu, seu sensitiuum illum, seu prauum dixeris, ad virtutis
 studium reducendo (r) impendisses, quantum in inuenien-
 dis strophis, quantum in nectendis contortis & aculeatis so-
 phismatibus, argutiis, captionibus, fallaciis; quantum in ve-
 ritatibus euertendis inaniter consumpsisti & perdidisti; non
 ita stomachare, non adeo grauius Deum accusares! vah
 quantis tu contra laudibus diuinam erga te benignitatem
 efferres, quantam ex libertate tua rationi obsequente cape-
 res cum voluptatem, tum vtilitatem! Multi & fuerunt olim,
 & hodie sunt homines probi & in omni vita constantes &
 graues, nec voluptate, sed officio consilia moderantes, qui
 se satis felices, satis beatos autumant, neque aliam, quam na-
 cti sunt, sortem optant, aut cupiunt. Ingenium tuum satis
 mirari nequeo. Id, quod omnes iudicant esse optimum, tu
 aspernare. Pro libertate Belgae foederati homines sapientis-
 simi & fortissimi, octoginta annos cum potentissimis Re-
 gibus, cum bellicosissimis gentibus nationibusque grauissima
 gesserunt bella: Libertatem corpori negatam quam primum
 sibi restitui, cupiunt serui, aut captiui:

- - - qua prorsus adempta,
 Nil gratum, nil dulce viris, & viuere mors est.

K

Tu

(r) Id qua fieri queat ratione egre-
 gie docet THVMMIGIVS Me-
 let. p. 236. seqq. Consultez aussi
 L. idee d'un Philosophe par

Mr. WERENFELS Opp. tom.
 2. p. 196. 197. edit. Laus. &
 1739. seu pag. 375. part. 2. edit.
 Amstelod. 1716.

Tu vero animo libertatem velles ademptam, animo, inquam, praestantissimae hominis parti, cui ipsa libertas est essentialis, ab eaque abesse nequit.

Sed libertate mens ne abutatur, metuis. Id ne fiat, cautione opus est.

Ecquae vero in tua collatione est similitudo? quo modo libertas hominis adulti cum nouacula infanti data potest comparari? Nonne sentis, quam sapienter, quam prouide, quam benigne mortalibus Deus prospexerit, animis eorum cupiditatem felicitatis indendo: quantopere eorum saluti consuluerit, eorum libertati addendo rationem veluti reatricem & moderatricem, vt, si libera voluntas ad malum inclinet, eam retrahat; castiget, refracnet, & intra honestatis limites retineat, intra virtutis cancellos coëreant?

Admiratione quis non obstupescat, considerans, conscientiam animis nostris esse inditam, inter ipsos cruciatum bonis blandientem; malos contra ea affligentem, cruciantem, extorquentem, &, dum poenas semper ante oculos versari putant, &, quicquid meruerunt, semper expectant, omnibus facinorosos & sceleratos voluptatibus defraudantem! Quoties inter epulas suspirat scelestus: quoties inter pocula gemit & angitur sibi malefactorum conscius (s), in pectore gerens testem molestum, quem nequit occaecare, gerens in sinu iudicem seuerum, quem nequit corrumpere! Quoties facinorosos terrent infomnia; quoties inania terricula!

Quam ridiculum aliis, aliis miserandum spectaculum videtur, sed quam molestum ipsis est, *παινωίς* eos commoueri & perturbari! Mala conscientia licet aliquando sit tuta; tamen numquam est secura.

Malus

(s) IUVEN. sat. 13. v. 209. seqq.
Videtur autem Poëta Aquinas
v. 223. sqq. respexisse ad I. V.
CRETII libr. 5. de nat. rer.

v. 1217. seqq. CONF. SVETON.
August. c. 90. Tiber. c. 69. Ca-
lig. c. 51.

- *Malus quamquam interdum gaudere videtur, Aestuatur ipse tamen, mediis ut Strongylos undis, Aemaue, quum fabricat fragrantia telae Pyracmon (1).*

Conscientia, si bene egeris, in posterum melius; si male, deinceps cautius agendi addit stimulum. Conscientia rationi in moderanda libertate operam locat (u).

Concessit libertatem humanis mentibus conditor optimus eorum naturae congruentem, & ne libere agentes bonis mala, honestis turpia, noxia vtilibus praeferant, rationis eos fecit participes: ut virtutis, licet externis bonis orbatae, aliquid, idque certissimum & maximum, semper sit praemium, conscientiam animis humanis indidit, quae quantis ad bene agendum calcaribus nos incitet, satis perspicue, si minus a me, ab aliis explicatum, arbitror. Sapiens igitur in se ipso grauissimas inuenit, & secum semper ducit magistras, legislatrices, & imperatrices.

§. XLVIII.

Voluntatis libertate recte vsuris nullum dari potest consilium salubrius, nullum praescribi praeceptum salutarius, quam ut distincta veri & boni cognitione intellectum imbuant (*). Praeclare *Petrus Gassendus* (x), Vir aequae magnae fines scientiarum proferendi cupiditate, quam doctrina, utraque vero singulari prorsus ac paene incredibili; frustra tentatur, inquit, ut voluntas appetitionem suam mutet, nisi curetur, ut intellectus suum mutet iudicium. Nam ut ait idem (y), prout intellectus notiones de rebus habuerit, iudiciae de iis tulerit, voluntas ipsas easdem res aut prosequitur, aut auersatur (z).

K 2

Est

(1) PALINGEN. *Aries vs. 105.*
seqq.

(u) de Conscientia egregie tractat.
ANTON. ALFONSVS de SARASA
in arte semper gaudendi part. II.

(*) BVLFING. *Specim. doctrinae
Veterum Sinarum* §§. 37. 38. 39.

(x) *De Morali Philosophia Epicuri* p. 1601. Est ille liber editus Lugduni anno 1649.

(y) *De mor. Philos. Epicuri* p. 1599.

(z) Lectu dignissima sunt, quae idem GASSENDVS de *Syllogismo practico* tradit p. 1598.

Est igitur *intellectus*, ut *Caluini* (a) nostri verbis utar, quasi *animae dux & gubernator*; in cuius nuntium voluntas semper respicit, & iudicium in suis desideriis expectat.

§. L.

S. Adhuc causam Dei, meo quidem iudicio, non male egisti: age vero, Germane, quid de usu & abusu libertatis iudicas? undenam libertate abutendi possibilitas? Macste virtute! A Deo hanc non esse profectam, demonstra.

G. Actiones, quae ab arbitrio animi pendent & proficiuntur, liberae vocantur (§. 18.). Istiusmodi autem actionum nos esse auctores, cum mens sit vere actiua (§§ 16. 40.), experientiae tuto credimus (§. 20.). Liberas igitur actiones perpetrandi facultas mentibus humanis est essentialis (§. 41.), neque diuino sublata decreto (§. 42.): sed peculiare eiusdem exercitium est accidentale; id quod ex libertatis notione (§. 18.) nemini potest esse obscurum: nam si singulares libertatis actus ad spirituum essentiam pertinerent, ipsa libertas tolleretur, neque possem v. gr. de vlla alia, quam hac ipsa re, hoc tempore cogitare.

§. LI.

Menti igitur facultas conuenit liberae actionis edendi (§. 50.): iis autem perpetrandis studet, quas intellectus bonas esse iudicat (§. 18.). Cum autem intellectus humanus sit finitus, neque nexum omnium rerum consequentiasque omnes perspiciat, in actionum suarum ad leges adplicatione potest errare, & specie boni consequendi decipi, atque nubem, quod aiunt, pro Iunone amplecti: quid, quod sensus, imaginatio & affectus, nisi ratione temperentur, nisi rationi obtemperent, homines saepissime a praeclaris actionibus auocent, & voluptatum prauarum dulcedine deducant ad auium, plerumque magis, in praesens quid delectet, spectantes, quam, quid in futurum expediat prospicientes? Vident' possibilitatem libertate abutendi? Quid hic Deo vitio vertemus? Rationem homini inditam finitam, intellectum non omniscium; infinitis

a) *Institut. Relig. Christ. l. 1. c. 15. §. 7.*

infinite perfectionibus eum non esse ornatum? Sed earum rei finitae natura non erat capax (§§. 46. n. 1. 47.). An vero, sensibus hominem praeditum, indignemur? An imaginatione & animi perturbationibus aegre feramus mentem posse turbari & a vero bono abstrahi? Sed, hominem ex mente compositum esse & corpore cogitemus. Finge tibi, imaginare, si lubet, hominem sine sensibus, sine imaginatione, sine affectibus. Quid? iamne his eum priuasti? cuius rei animo tuo remansit idea? Hominisne? Non credo, te id affirmaturum. Ah, quam iniqui rerum sumus iudices! quam stupidi momi! Quam negligenter de rerum essentiis, quam raro de rerum creaturarum finitudine cogitamus! Pro pudor, euerisque mores, *ex diuersis & dissidentibus bonis hominem non esse compositum, iniuriam vocamus (b)!*

§. LII.

S. Cum mens humana sit finita, cum reliqua, quae (§. 51.) recensuisti, libertatem labefactent, & ad prauas actiones perpetrandas queant pellicere; quonam, amabo, pacto hominem, etiamsi eum integrum, nullaque aspersum labe, qualem eum a Deo sanctissimo & benignissimo creati oportuit, conditum consideremus, sibi a libertatis abusu & peccatis putemus potuisse cauere? G. Hominem, qui integer sit creatus & bonus, similemne nobis statuis, an praestantioribus praeditum animi dotibus? S. Sane multo praestantioribus: imagine Dei fuit ornatus: intellectu polluit multo distinctiore, quam nos, & voluntate multo sanctiore: rebus physicis vtendo summam cepit voluptatem, non tantum ex ipsis rerum naturis, sed etiam ex Dei, quas earum occasione cognoscebat, perfectionibus (c). G. Egregie! Illo intellectu homo a Deo integer creatus quidni recte vsus est? quidni ratione, qua ille polluit nostra multo praestantiore, facultates,

K 3

(b) SENECA l. 2. de benef. c. 29.

(c) Lectu est dignissima Excellentissimi WOLFFII Philosophi

praefatio utilissimo libro sagacissimi THVMIGII postumo, quo explicantur quaedam naturae phaemomona, praefixa.

tates, vt vocantur, mentis inferiores in officio retinuit? Cur maluit affectibus, quam ratione regi, quam sciebat esse illis meliorem? S. Hominis, licet integri, ratio fuit finita. G. Hoc peccati possibilitatem probat, nequiquam necessitatem. S. Sed ratio finita nequit omnes actionum consequentias perspicere & praeuidere. G. Primo notandum, hominem integrum acutissimis nostris Philosophis multo fuisse perspicaciorem: sed tamen nouimus, permultas actionum consequentias a Philosophis obseruari & praeseiri, ab iisque, si attendant, legis naturalis praecepta multo accuratius & facilius, quam a stupidiore, teneri. Quanto igitur studiosius, quanto felicius ab integro homine potuerunt obseruari? Deinde, fac, primum hominem ratione, utpote finita, non omnia, quae ex actionibus poterant oriri, perspexisse: fac, eum bono iucundo potuisse decipi, eoque potiundi cupiditate illud, quod re ipsa utile est & honestum, negligere. Nonne eum, utpote integrum, & intellectu praeditum satis sagaci, oportuit cogitare, se actionis, quam suscepturus, consequentias nondum cognoscere? Quidni actionem illam in id tempus, quo distinctius res cognosceret, distulit, aut plane intermisit? Id potuisset, si ratione, qua donatus a Deo, recte fuisset usus.

§. LIII.

Neque diuino decreto aut praescientia rationis aut libertatis humanae usus fuit imminutus: id quod supra (§. 46. num. 3. & 5.) est ostensum.

§. LIIII.

Tuto igitur, mihi videor, iam posse concludere, libertatem, liberasque actiones perpetrandi facultatem, & libertatis usum diuino decreto hominibus non esse ablata (§§. 42. 50. 53.): abusum vero rationis & libertatis, non Deo, sed hominibus vitio vertendum (§. 52.): libertate, qua Deus nos vti voluit, abutendi possibilitatem, non a Deo, sed a rerum creaturarum finitudine deriuandam (§. 51.).

Cetera, quae obici possent, aut ad Theologiam reuelatam, aut ad celeberrimam illam de origine mali quaestionem,

nem, nostrae affinem materiae, pertinent. Igitur manum de tabula.

Tamen imperfecto meo, in quo nihil praeter animi voluntatem, & veri cognoscendi desiderium laudari, multa desiderari posse (vtinam & ipse ea valerem supplere!) cognosco, operi vt imponam colophona, annectere lubet dictum Viri eruditissimi & inter Cartesianae Philosophiae principes suo merito numerandi Lamb. Veltbuisii (d), constat, in-
 quientis, ad constituendam possibilitatem peccati nihil positiui requiri, sed tantum minorem perfectionem, iunctam cum libertate arbitrii, quae malo & tentari & affici possit, quod id malo posse affici non est fundamentum possibilitatis peccati, sed tantum aliquod praerequisitum: at fundamentum & causa possibilitatis peccati est liber abusus voluntatis, qui totus est ab homine, & libere sequitur illum minorem perfectionis gradum, qui a Deo est: nam peccatum per eam causam est possibile, per quam cum re ipsa perpetratur, fit: at fit peccatum per voluntatis abusum, & NB. non per minorem perfectionis gradum.

Haec sunt optime Sophocrate, quae mihi de mentis libertate cum diuino decreto concilianda videbantur disputanda.

- - - Si quid nouisti rectius illis,
 Candidus imperii.

Cognoscendi cupiditas me ad audiendum iam dudum incitat.

§. LV.

Agedum, rationem tuae meditationis mihi expone. G. Quid istuc? S. Explica, quomodo hanc demonstrationem adornaris. G. Propositionem propositam ex numero theorematum esse, primo intuitu facillime cognoscebam: ex Logicis autem, & Geometrarum demonstrationibus satis erant notum, theorema omne, vt rite demonstratur (e);
 resol-

(d) Noua Methodo de praedestinatione & gratia part. 1. c. 4. Opp. t. 1. p. 265. col. 2. & p. 266.

col. 1. edit. Roterod. 1780.
 (e) Logicae gnarus & Mathematicorum demonstrationum assuetus

resoluendum esse in hypothesin & thesin; praeterea suppositionis loco, rei de qua aliquid demonstrandum, definitionem, aut aliam cognitam veritatem assumendam: quodsi vero talis propositio non occurat, aliquam ex suis principiis demonstrandam prius, quam ea loco hypotes^{is} assumatur: denique ex hypothesi thesin esse demonstrandam, aut, si natura rei, aliaeue circumstantiae id non permiserint, probandam. Haec generalia vt ad meum propositum applicarem, hoc pacto propositionem explicui. Si libertas est menti essentialis, est vtique immutabilis, & per consequens decreto diuino non sublata. Vixdum animo hanc hypothesin, *scilicet libertas est menti essentialis*, conceperam, eiusque cum thesi nexum perspexeram, cum animaduertentem, duobus extra controuersiam ponendis esse operam impendendam: 1. essentialis rerum esse immutabiles. 2. libertatem mentibus essentialem.

De rerum essentiis sermonem multum esse instituentium, praesentiebam, praesertim, cum quaestio occurreret, num decreto, seu voluntate Dei libertas hominis sit sublata, nec ne. Igitur principio doctrinam de rerum essentiis in se spectatis, seu quales de iis menti nostrae sint inditae ideae, perscrutabar: deinde inquirebam, num experientia cum abstractis illis speculationibus consentiat: postremo, intelletune Deus, an voluntate, seu decreto, rerum essentias poterit immutare, indagabam.

In re tam ardua tantique momenti ne laborer, in dubium omnes de rerum essentiis eruditorum sententias vocaui, & rem ipsam considerandam mihi proposui, Arithmeticos imitans, qui numeros datos inter se conferunt, parum curantes, quis, absoluto opere, calculus dummodo verus, deprehendatur. Id sedulo egi, vt distinctas rerum demonstrandarum notiones animo conciperem, & vocibus vsitam tribuerem significationem, & rei naturae conuenientes definit-

tus primo intuitu obseruabit, me non omnia argumenta Euclideo ordine disposuisse, sed illa eo disponi potuisse: aequus

tamen censor multum breuitati, multum colloquiorum libertati tribuet.

definitiones, quae plerorumque Theologorum & Philosophorum scholis sunt tritissimae. Etenim, cum demonstrationes ex syllogismis veris apte inter se connexis componantur; *syllogismi* autem, vti rectissime notavit *Baco de Verulamio* (f), perpetuum Britanniae ornamentum, ex *propositionibus* consistunt; *propositiones* ex *verbis*; *verba* vero *notionum* tesserae sunt; si *notiones* ipsae *confusae* sint, nihil in iis, quae *superstruuntur*, est *firmitudinis*, & *tota fabrica corrui*. S. Praeclare illa et necessaria est, quam de rerum essentiis Philosophi saniores instituunt, *disputatio*, cuius *utilitatem* cum non perspiceret *Hobbesius*; Philosophus plus quam *Nominalis*, eam doctrinam, licet id callide dissimularet, irrisit (g); quam si tractasset distinctius, numquam eo deuenisset inlaniae, vt ab hominum arbitrio deriuasset veritates. G. De essentiis rerum cum ea, quae huic tractationi videbantur sufficere, essent cognita & explorata, animum adiunxi ad *libertatem spirituum* considerandam. Magnam hic mihi *faceffiu*it molestiam quorundam hominum eruditissimorum *frivola* sententia de *mente* mere *passiva*, quae priusquam euertatur, nullum doctrinae de libertate mentis humanae relictum esse locum, vnusquisque intelligit: vnde id mihi potissimum negotio datum credidi, vt ex *notione* passionis demonstrarem, *rationibus* Ontologicis certissimis *suffultus*, *spiritus*, simul atque a Deo sunt conditi, sua natura esse *actiuos*. Id post quam ostensum erat, ad experientiam attendenti *obscurum* esse non poterat, conuenire menti libertatem. Ea autem num *spiritibus* necessario fit tribuenda, cum examinarem, rem eam certam comperi.

Haec omnia videbantur plana & perspicua. Sed longe maior suboriri mihi, cognitas veritates inter se conferenti, difficultas potuisset, nisi consideratio *ideae Dei* & necessarii iis me liberasset molestiis.

L

Neces-

(f) *libr. 5. de augm. scient. cap. 2. Opp. vol. 1. p. m. 270. & Noui Organi aphor. 14. Opp.* vol. 2. p. 28. edit. Amst. 1604.
(g) *Append. ad Leuiath. c. 1. Operum Hobbesii t. 2. p. 343. 344.*

Necessarium esse noueram, cuius oppositum veritatibus aliis repugnat; cetera omnia esse contingentia: vnde intelligebam, mundum nostrum, cum plures sint possibiles, esse rem contingentem, atque adeo eum posse non existere; potuisse eius loco alium creari; posse nullum existere. Deinde, ex illis, quae menti meae insunt, notionibus clare perspiciebam, Deum non tantum vno, vt BOËTHIVS (b) ait, *mentis cernere in ictu, quae sint, quae fuerint, veniantque*; verum etiam ab omni aeternitate omnium possibilium ordines distinctissime cognouisse: mundum nullum posse existere, nisi a Deo creetur; vt autem creetur, requiri decretum diuinum, quod cum sit electio, ex omnibus possibilibus, alicuius mundi faciendi, liberrimum fuerit, necesse est. Porro cum decretum sit determinatio voluntatis, diuina autem voluntate essentias rerum constet non mutari, perspicuum erat, Dei decreto spiritibus nihil, quod iis sit essentiale, sublatum fuisse: sed libertatem menti esse essentialem, fuerat demonstratum. Itaque, eam decreto diuino neuitquam fuisse sublatam, concludebam.

Ita rationis sequens filum ex eo Labyrintho euasi, vnde me numquam recipissem, nisi viam, qua virorum eruditissimorum vestigia impressa relictasque faces notabam, fuissem secutus: eorum igitur, si quid a me praesertim putas, quod sentio quam sit exiguum & paene nihil, doctrinae, eorumque laboribus illud omne acceptum referas.

§. LVI.

S. Immortales Deo optimo maximo debemus gratias, qui nobis rationem dederit, quam in vero cognoscendo moderatur, dirigit, iuuat Logice, a multis, quod honestissimo eo nomine inutiles aliquando libelli insigniantur, neglecta, contempta, haud aliter de nobilissima illa scientia iudicantibus, quam de *Chryssippi* Dialectica *Lucianus* (i).

G. Sed

(b) l. 5. de *Consolat. Philosoph.* (i) In *vitae aulicorum*, *Opp.* 1. m. 2. 3. p. 119. sqq. edit. Bas.

G. Sed nec defunt, qui, vti, maiorum memoria egisse *Melanchthonem*, nouimus (k), *Logicae*, quam antea despe-
 xerunt, vtilitatem & praestantiam agnoscunt. S. Multis sane
 & grauissimis argumentis, *Logicam* non esse negligendam,
 docemur. G. Cum nihil a Deo immortali tributum sit ge-
 neri humano ratione praestabilius, eaque per integram vitam
 vtendum, ad *Logicam* cum dignitatem, tum necessitatem prob-
 andam nullo alio opus reor argumento. Ad excolendam
 eam scientiam vnunquemque, qui naturam sequitur ducem,
 cum nemo velit decipi, impellit omnium animis naturalis
 & veluti ingenerata veri cognoscendi cupiditas (l). S. Re-
 cte tu illa quidem ac vere: sed non sufficit praeceptionibus
 & regulis *Logicis* animum instruxisse: vsus adiungendus est,
 magister optimus. Ad eamque rem vtilissimae sunt, & ad-
 commodatae maxime *Mathematicae* demonstrationes, quibus
 animus ab inanibus disputationibus ex *logomachiiis* originem
 ducentibus, & ab altercandi studio ad placidam veri inuesti-
 gationem, a verbis ad res ipsas deducitur: ad distincta a con-
 fuis, certa ab incertis, euidencia a verosimilibus discernen-
 da redditur idoneus; ad meditandum quoque praeparatur,
 & ad ceteras scientias ac doctrinas percipiendas & tractan-
 das efficitur paratior atque instructior: nam *Methodus* *Ma-*
thematica vniuersalis est (m). Putemusne *Viros* summos de
 ecclesia *Christiana* & *humani generis* societate optime meri-
 tos, dum scientias *Mathematicas* aut ipsi tractant, aut alii
 commendant, demonstrationum materiam magis, cuius vtili-
 tas in vita communi & *Physicis* est longe maxima, quam

L 2

noti-

(k) Mr. BAYLE dans *Dictionnaire*
 l'art. *Melanchthon*, remarque K.

(l) ARISTOTELES initio *Meta-*
physicorum, πρῶτες ἀνθρώπων
 τῶ ἐιδεῖν ὁρεῖσθαι φύσει
 CIC. I. I. de *Off.* c. 4.

(m) Illustris WOLFFII *Ratioprae-*
lect. sect. 1. c. 1. §. 20. & *Log.*

§. 702. & magni nominis Lug-
 dundenfium Philosophi Cl. Gravesande *Oratio de Eui-*
dentia p. 10. sqq. IAC. GVL.
 MICH. WASSER libellum con-
 scripsit eruditum, cuius indi-
 cem voluit esse, *dissertatio de*
methodo Mathematica extra
Mathesin adplicanda.

notium euidentiā, propositionum perspicuitatem, dilucidam veritatem, ordinem, atque admirabilem illam, illam conca-tenatam, illam continuam, nusquam dissolutam, aut diuul- sam, nusquam interruptam rationum & demonstrationum seriem spectare? quorum exemplo aut consilio, si doctrina- rum cultores, si scientiarum studiosi, si veritatum indagatores in examinandis connectendis & tradendis dogmatibus Logicos, & Logicorum filios dubium, an parentes, Mathematicos se- querentur breui nusquam ἀλλ' ὅς ἐφα, sed in Philosophiae & plurimarum humanarum, in quibus locus esse potest de- monstracionibus, scientiarum tractacionibus, in eruditorum exhedris, conuentibus & disputationibus audires ἀλλ' ἡ φη- στω, ipsa ratio hoc dicit, dicit, praecipit; ipsa experien- tia hoc docet, ostendit, confirmat: breui ex scientiarum templis eiecta cerneret, humi prostrata & conculcata vide- res, quae Franc. Baco Verulamius (n) vocauit tribus, spe- cius, fori & theatri, idola.

G. Recte tu illa quidem: sed, quod pace tua dixerim, longe maximum Logicarum exercitationum vsū silentio praetermittit: etenim ratione nobis in erroris & inscitiae tenebris lumen praeferente, eademque duce, vt recte dixit Seneca (o), per totam viam eundem est, & minima maxima- que ex huius consilio gerenda sunt: rationis autem veluti ma- gistra & gubernatrix est Logice: vnde huius scientiae maxi- mum in vita communi esse fructum, illustris Wolfius Philo- sophus (p) egregie ostendit, & experientia docet, maxi- mum eius in re publica & humani generis societate vsū. Consultissimus Antecessor noster Barbeyracius erudite sapi- enterque monstrauit (q).

Faxit

(n) L. 5. de scient. augm. c. 4.
Opp. vol. 1. p. m. 300. sqq. &
nou. organ. aphorism. 52. 53.
58. 59. 61.

(o) l. 2. de benef. c. 18.

(p) Logicae part. 2. sect. 6. cap. 1.

(q) Quiconque a la Raison, peut-il
douter le moins du monde, qu'il
ne soit très-utile aux citoyens
de bien raisonner? ----- Est-il
donc rien de plus utile tant un
Etat, que l'étude serieuse d'une
bon.

Faxit igitur supremus & liberrimus omnium rerum at-
 biter, vt ratione nostra vtamur, libertate ne abutamur! S.
 Idem ego opto, praeterea, vt ad ferostransmittatur poste-
 ros aurea Dei O. M. reipublicae nostrae Statoris beneficio,
 maiorum nostrorum virtute, prudentia, sanguine parta, &
 ad hunc vsque diem Procerum curis, vigiliis, consilio con-
 seruata & stabilita libertas!

*bonne Logique, qui suplément
 au peu d' usage, que font la
 plupart des gens de la Logi-
 que naturelle, les rende atten-
 zifs aux règles des bons Rai-
 sonnemens & aux sources des
 mauvais, les accoutume à se
 faire des idées droites des cho-
 ses, à ne iuger que de ce qu' ils*

*connoissent bien, & à suspendre
 leur iugement sur tout ce, dont
 ils n' ont pas vne connoissance
 suffisante pour prononcer sûre-
 ment. Recueil de Discours sur
 diuerses matieres importantes
 traduits ou composez par Mon-
 sieur BARBEYRAC. tom. 2. p.
 186. 188. 189.*

F I N I S.



INDEX.



I N D E X.

- A**busus libertatis, an huius possibilitas a Deo proficiscatur? 76.
Actio, quid? 48. an recte tribuatur spiritibus creatis? 49.
Actiones hominum liberae v. libertas.
Actiones malae, an culpa harum in Deum possit transferri? 70.
- spirituum finitorum, an creatio dici possint? 53.
Aeternum, omne, an necessarium? 65.
Aristoteles, quam notionem habuerit de libertate? 5.
Baco, quocum Ontologiam comparauerit? 54.
Barbeyracius, 84. 85. n. 9).
Bilfinger, quomodo definiat libertatem? 6.
Calvinus, 10. quomodo intellectum definiuerit? 76.
Cantzius, huius definitio de libertate. 6.
Cartesius, quid statuerit de libertate? 5. de essentiis rerum, 33. an existimauerit, Deum potuisse efficere, vt quae eadem sunt, sint diuersa. 36. 41.
Cicero, quomodo libertatem vocauerit? 5.
Contingentia, an tollatur per necessitatem contingentiae. 66.
Contradictoria, nullius potentiae obiecta. 40.
Creatio, proprie sic dicta, quid? 53.
Daries, eius definitio de libertate, 6. sq.
Decretum dei, quid? 60. essentias rerum non mutat, 62. non derogat libertati humanae. 62. 78. 41.
Deus, an potuerit essentias rerum mutare. 33. an potuerit efficere, vt, quae sunt eadem, sint diuersa? 36. est ens liberrimum, 63. in eum actionum malorum culpa non potest transferri. 70.
Electio, quid? 8.
Engelhardus. 48.
Essentia, quomodo ab existentia differat? 27. quid sit? 27. 42.
Essentiae rerum, has esse aeternas demonstratur. 23. indiuisibiles. ib. 35. immutabiles. 30. 42. sq. an possint a Deo immutari. 33. 40. easdem recipere

INDEX.

- recipere magis & minus, quomodo dicatur? 32. sq. Dei intellectus non mutat. 44. non confundendae cum existentia. 43.
- Essentiae spirituum sunt aeternae & immutabiles. 46.
- Essentialia rei cuiusque sunt constantia. 44.
- Existentia, quid? 17.
- F**atum, an alicui Deus subiiciatur per futurorum praenotionem? 67.
- Fischerus laudatur. 58.
- G**assendus, Petr. eius opinio de libertate. 9.
- Gloria diuina, quid? 11.
- Gratina, 13.
- Grotius, H. ius naturae immutabile dixit. 41.
- H**eymann, Th. Henr. eius definitio de libertate. 7.
- H**obbesius, quid dixerit de libertate, 5. struit subtiliter insidias doctrinae de praescientia Dei, si hominum actiones libertae. 66.
- I**ndependentia, quomodo cum hac cohaereant essentiae rerum aeternae? 45.
- Indifferentia formalis, quae libertatem a necessitate constituit. 7.
- Insectorum metamorphosis, an essentias rerum mutet? 30. sq.
- Intellectus, in hoc ponenda libertas. 9. quid ex mente Caluini? 76.
- Intellectus diuinus omnis veri fons, 39. essentias rerum non mutat. 44.
- Ius naturae est immutabile. 41.
- Iustinianus, in quo libertatem constituerit? 5.
- L**eges, quid & cur sint? 12. his qui obtemperat, libertate utitur. ibid.
- Leibnitiuss, quid ad libertatem requirat? 6.
- Libertas, magnum Dei donum, 3. in quem finem concessa. 4. de hac philosophorum variae sententiae 5. sqq. ubi quaerenda. 9. 35. an nobis a deo data cum pernicie, 71. an possibilitas hac abutendi a Deo 76. Deo tribuenda. 63.
- Libertas humana, decreto dei non sublata, 17. 26. conciliatur cum hoc
- 41. an praescientiam Dei tollat? 66.
 - perfecta, semper conciliat bonum 10.
 - vera complectitur gloriae diuinae illustrationem, 11.
 - vera et perfecta exercetur ab eo qui rationi conuenienter uiuit. II.
- Libere agere, quid? 54. sq.
- Lockius, 13.
- M**alebranche, eius opinio de essentia. 28. n. a.
- Melanchton, 83.
- Mens humana est spiritus. 62.
- Moheimus, 33.
- Mundus, quid? 57. plures sunt possibiles, 57. est res contingens. 60.
- Neces.

INDEX.

- N**ecessarium, quid 65. omne est aeternum, sed non vice versa. 65.
 Necessitas contingentiae, an tollat contingentiam? 66.
 - - physica, quid? 61. consequentiae, ib.
- O**bssequium, legibus sponte praestitum, est opus libertatis. 12.
 Omniscientia Dei quid? 44. quomodo cum hac aeternitas rerum
 essentialium cohaereat? 45.
 Ονομαστικῶν, an liceat? 24.
 Ontologia, cum quo Baco comparauerit. 54.
- P**hilosophi, horum notiones de libertate 6.
 Possibilitas intrinseca, quid? 40. libertate abutendi an a Deo? 75.
 Praescientia Dei, an tollatur per libertatem? 66. nullam rebus creatis
 inferre vim. 67.
 Pungelerus, Abr. 36. 40.
- R**atio fons libertatis humanae 4.
 Reuschius, quomodo libertatem definiat. 6.
- S**cientia Dei, seu simplex intelligentia, quid? 57.
 Seneca, 12.
 Sextus Empiricus, refutatur. 29.
 Spinoza, qualem habuerit opinionem de libertate. 5.
 Spiritus, quid? 46. horum essentialium aeternae 46. sunt entia actiua ib.
 eisdem voluntas essentialis, 54. sine libertate non potest concipi. 56.
 - - finiti, an horum actiones creatio dici possint. 53.
 - - corporibus iuncti ad mundum habent relationem. 59.
- Spontaneitas, quid? 8.
 Stoicorum opinio de libertate. 5.
 Syrbius, I. I. 6.
- T**ertullianus, 33.
 Turretinus, I. A. 45.
- V**elthuyfius, 79.
 Vocabula noua an et quomodo fingenda? 24.
 Voluntas, an in hac libertas ponenda? 9. eiusdem emendatio pendet ab
 intellectu emendatione. 10. nulla sine libertate 54. ab actu volendi
 distinguenda 55. Spiritibus essentialis, 54.
 de Vries, 39.
- W**asser, 83. n. (m)
 Weigelius, Val. 33.
 Wolfius, (83. not. (m) 84. et n. (p)

* * *

00 A 6312


ULB Halle 3
002 835 673



58

Retro ✓







9

2

HENR. THEODORI HEYMANNI
DIALOGVS
DE
MENTIS HVMANAE
LIBERTATE
DIVINO DECRETO
NON SVBLATA.

ANTEA
GROENINGAE EDITVS
NVNC
DENVO EMENDATIO EMISSVS
A
IO. CHRISTIANO FISCHERO
PHILOS. DOCT. ET ADSESSORE IN ACADEMIA
IVXTA SALAM
CVM EIVS
PRAEFATIONE ET COMMENTATIONE MORALI
DE
VERA SEV PERFECTA
LIBERTATE
RATIONI ET LEGI CONGRVA.
ET INDICE NECESSARIO.

I E N A E
APVD IO. CHRISTOPH. CROEKERV M,
∞ MCC XXXXVIII.

202.4.

